

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
4 L
36


7.4. L. 36

MAPHAEI
S. R. E. CARD.
BARBERINI
NVNC
VRBANI PP. VIII.
POEMATA.

Offerenti mihi fri Bernardino Puccio Priori Ereum Em.mo Card.li Angelo Georio hunc pro hac Bibliotheca librum proprijs manibus gratiose largitus 8. 3.o Nonas Februarij 1649

BIBLIOTECA ... ROMA

11



Imprimatur, Fr. Nicolaus Riccardus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.


MAPHAEI S.R.E. CARD. BARBERINI
NVNC VRBANI PP. VIII. POEMATA.
Romæ in Ædibus Collegij Romani Societ. Iesu. Typis Vaticanis 1631.
Eq.^s Io. Lauren. Bernini inuen.
Claud. Mellan Gall.^s F.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO CARDINALI BARBERINO

ANDREAS BROGIOTTVS FEL.

HAEC Poëſis, Eminentiſſime Princeps, quam decem ante iam annos, tamquam Phidiæ Mineruam aſpectam ſimul, & probatam Academia Pariſienſis inſcriptione publica DIVINAM appellauit; vt demum ex AEdibus Collegij Romani meis characteribus tuo prodiret inſcripta Nomini, nomen non vnum fuit. A me enim tot tuis in me benefi-

ficijs,

cijs, & nominibus tuo quid vmquam exiſtere poteſt non tibi debitum, & Nomini tuo prope dicatum ante, quam natum? Collegium verò Romanum quid Tibi non voueat, quem olim Alumnum ſuum, ſuum modo, Gentiumq; Patronum experitur? His duobus accedit tertium, longè ſanctius, atque ponderoſius Authoris Optimi, Maximiq; Nomen. Ipſe enim Maximus Author Indolem tuam animo non patruo, ſed paterno dum fauſtis ſub penetralibus inſtitueret, has aureo Muſarum in cratere virtutes eliquabat Tibi: Tibi Apis argumentoſa laborabat hos fauos: hæc carmina bonus Vates ſcribebat ad Te. An non immortali ſiti bibebas, altiuſq; reponebas in animo voces illas?

FRANCISCE, fratris Germen amabile,
Ob quem ſub imo condita pectore
Me cura mordet, detinetque
Sollicitum Genitoris inſtar:

Subſiſte mecum, nec graue duxeris
Hinc ex amœna, quæ patet, orbita
Ductore me flectens adire
Per ſalebras Heliconis antrum.

Hic

Hic multiformi carmine Barbitos
Eburna Parcas ſopit, & eripit
Heroas Orco, quos perenni
Fonte beat comitata Virtus.

Et reliqua, quæ ſequuntur Apollinis oracula verius, quam Hominis carmina. Nam cæteris lectoribus carmina fuerint: Tibi certè legenti ſimul, & quæcumque legeres oculis, animi Virtutibus exprimenti, vera fuerunt Oracula. Nefas igitur erat, ea carmina Tibi non reddi, quæ tuum à pueritia aluerunt ingenium, & inſtar lactis in adultæ Virtutis alimentum, partemq; tuæ Magnitudinis euaſerunt. Sed ſileo: nam poſt VRBANI Magni tam canoras Muſas alicuius anſeris ſtrepitu celebrare laudes tuas inſaniæ daretur. Vale.

VRBANVS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

EXPONI Nobis nuper fecit dilectus filius Andreas Brogiottus modernus Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Impreſſor, quod ipſe denuò diuerſa carmina à Nobis dum in minoribus conſtituti eſſemus compoſita tàm in magno, quàm in paruo folio, magna cum diligentia, & impenſa imprimi facere intendit; veretur autem, ne ab alijs abſque eius licentia in maximum eius præiudicium, & damnum opera huiuſmodi imprimantur; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, quatenus ei in præmiſſis opportunè prouidere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Andream ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volen. & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſen. huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, non recedendo à priuilegijs officio Typographiæ, & illud pro tempore obtinenti conceſſis, eidem Andreæ vt duran. viginti annis proximis à primæua reſpectiue operum huiuſmodi impreſſione, dummodo tamen antea à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici approbata ſint, computan. nemo tam in Vrbe, & vniuerſo Statu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubiecto, quam extra ſtatum huiuſmodi opera prædicta ſine ſpeciali dicti Andreæ, aut eius hæredum, & ſucceſſorum, vel ab eo cauſam habentium licentia imprimere, ſeu ab alio, vel ab alijs impreſſa vendere, ſeu venalia habere, aut proponere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus præſertim librorum impreſſoribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, & quoad perſonas Nobis, & Apoſtolicæ Sedi ſubiectas etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, & pro alia, eidem Andreæ, ac pro reliqua tertijs partibus accuſatori, & Iudici exequenti irremiſſibiliter applican. ne dictis viginti annis duran. opera prædicta, vel aliquam eorum partem etiam prætextu additionis, aut explanationis ſcholiorum, aut interpretationum, vel per modum ſummarij, vel compendij, aut aliàs quomodolibet tàm in magno, quàm paruo folio, ac tàm in Vrbe, & vniuerſo ſtatu noſtro prædictis, quàm extrà dictum Statum ſine huiuſmodi licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impreſſa vendere, ſeu venalia habere, aut proponere quoquomodo audeant, ſeu præſumant, Mandantes propterea dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, ac Præſidentibus, & Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iuſtitiæ miniſtris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, vel locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti quatenus eidem Andreæ, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus, vel ab eis cauſam haben. huiuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, quandocumque ab eodem Andrea, & alijs prædictis fuerint requiſiti pœnas prędictas contra quoſcumque inobedientes irremiſſibiliter exequantur, Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die 30 Ianuarij MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Octauo.

M. A. Maraldus.

INDEX.

I. POESIS probis, & pijs ornata documentis priſtinæuo decori reſtituenda. *Quærentem viridi præcingere tempora lauro.*

II. Paraphraſis in canticum Moyſis. Cantemus Domino &c. *Gloriam Cæli Domino canamus.*

Paraphraſis in Canticum Moyſis. Audite cæli quæ loquor. &c. *Terra meas audi voces, audite loquentem.* pag. 3

Paraphraſis in Pſalmum Primũ: Beatus vir, qui non abijt &c. *O ter beatus, qui fugit integer* pag. 17

Paraphraſis in Pſalmum cxvj. Laudate Dominum omnes gentes &c. *Laudate Regem ſyderum.* 21

Paraphraſis in Pſalmum cxxxvj. Super flumina Babylonis &c. *Sedimus in ripis flentes, Babylonis ad amnem.* 23

Paraphraſis in Canticum Ezechiæ, Ego dixi, in dimidio dierum &c. *In medio vitæ curſu, mea deficit ætas.* 27

Paraphraſis in Canticum trium puerorum. Benedictus es Domine DEVS &c. *Te rerum dominum, te DEVS Iſaci.* 33

Paraphraſis in Canticum Beatæ MARIAE Virginis. Magnificat anima mea &c. *Ad aſtra Regem Cælitum.* 41

Paraphraſis in Canticum Zachariæ. Benedictus Dominus Deus Iſrael &c. *Iſacidum Dominum ſacro vox conſona plectro.* pag. 45

Paraphraſis in Canticum Simeonis, Nunc dimittis ſeruum tuum &c. *Nunc tuo, iuxta tua dicta, ſeruo.* 47

Paraphraſis in hymnum Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini, Te Deum laudamus te Dominum &c. *Laudamus omnes te Deum, te Syderum.* 49

In Chriſti Domini Natalem diẽ. *Naſceris alme Puer gelidæ ſub tempora brumæ.* 54

Chriſti Domini mox morituri cum Beatiſſima MARIA Matre colloquium. *Inſtat ſacra Parens temporis vltimum.* 56

Ad Diuinum Spiritum Hymnus. *Spiritus Superum decus.* 58

De S. Ioanne Baptiſta ode. *Inuecta bigis Cynthia candido.* 63

De S. Maria Maria Magdalena ode. *Innixa pennis verſicoloribus.* 75

a De

De S. Laurentio ode. *Ibera tellus, Auſtrio.* 89
De S. Ludouico Rege Galliarum ode. *Obiectu gemini maris.* pag. 103
De S. Eliſabetha Luſitaniæ Regina hymnus. *Domare cordis impetus Eliſabeth.* 119
De eadem hymnus. *Opes decuſq; regium reliqueras.* 121

Pœnitens *Sepultus alta criminum caligine.* 122
Circæi poculi Alexipharmacũ. *Inſerta vario nitore gemma.* pag. 126
Vexillum Caritatis ad Nicolaũ Barberinum germanum fratrem in illa verba Iob. Militia eſt vita hominis ſuper terram. *Quod dixi ſemel, hæreat repoſitum.* 130
Vanitatis fuga æternitatis amor *Amica veris aura frigus aeris.* pag. 133
Vera ſapientia mortis meditatio. *Mundi Machina fertur ad ſupremum.* 135
Perturbatus animi praui motus, placida recti quies. *Liberè vagans per agros quo pauore concutit.* 138
Felicitatis humanæ fuga cæleſtis adeptio elegia. *Prætereunt anni, celeri pede labitur ætas.* pag. 141

Laurentium Magalottũ Vtriuſque Signaturæ Referendarium ruſticatum inuitat. *Arua madent pluuijs, & amabilis aura calores.* 149
Alexander Ecloga. *Quæ ſolita es pecudes inter frondentis in vmbra.* 157
Iulus Ecloga. *Infelix Galatea vagas Minionis ad vndas.* 162
Ad Vrbem Romã in obitu Alexandri Farneſij S.R.E. Card. *Quid fles purpurei decus Senatus.* pag. 168
Ad gratulationem Antonij Gigantis reſpõſio nomine Dioniſij Rattæ in numerum Romanæ Rotæ Auditorum nuper adſcripti. *Quod Patrum Pater omnium ſupremus.* 170
Ad Virginium Cæſarinum Cæſarini Ducis fratrem: Propter ſalutem inualidi corporis ruſticandum, & curis, & libris aliquam ſalutem eſſe dicendam. *Virgini, decus eruditiorum.* 172
De obitu Card. Paleotti ad Antonium Gigantem eius familiarem. *Dum mi docte Gigas, te prope mœnia.* 175
Ruris laudes. *Ab Vrbe rura nos vocant ad otium.* 178
Ad Bernardinum Capponium elegia. *En Pater Autumnus, redimitus pulchra racemis.* pag. 181

In fontem miri artificij epigrãma.

ma. *Largior anguſta primum deſertur in auras.* 185
De fonte Pontificio Nauis effigiem habente. *Bellica Pontificum non fundit machina flammas.* 185
De Vlyſſis Aldobrandi libris epigramma. *Multiplices rerum formas, quas Pontus, & Aether* pag. 186
In Pontici auaritiam epigramma. *Vt parcas opibus, tibi quid non parcis? an vnquam.* 187
Ad Aurelium Vrſum epigramma. *Allicis Aureli mentes: ſeu ruſtica pangis.* 188
In maledicum, qui in Vrbis Romæ nomen impiè luſit epigramma. *Cum Romam nequeas (quod aues) euertere, nomen.* pag. 189
De eodem nomine epigramma. *Roma, ſibi quondam quæ robore ſubdidit orbem.* 189
De Sole, & Ape. *Luce fugat tenebras, cera dum veſtis ab igne.* pag. 190
De pronubo Deiparæ Virginis anulo, qui Peruſiæ aſſeruatur epigramma. *Imbriferis Arcus fulgens in nubibus orbem.* 190
De nece Reginæ Scotiæ epigrāma. *Te quamquam immeritam ferit, ò Regina, ſecuris.* 191
In pios affectus Angeli Grilli Abbatis epigramma. *Demulcent animos, ſacro quæ carmina plectro.* 192
Ad Sereniſſimum Ducem Alexandrum Farneſium de victoria Belgica epigramma. *Sub Duce Roma tuo cecidit bis Belga: reſumpſit.* 193
De picturis Guidonis Rheni in Sacello Exquilino Sanctiſſimi D.N.Pauli V. epigramma. *Vt trahit, vt retinet, defixaque lumina fallit.* 194
Draco Aerus in fronte Laureti in viridario Card. Burgheſij epigramma. *Non ſedeo cuſtos, adſto venientibus hoſpes.* 195
Ad Vlyſſem Aldobrandum de eius admirabili rerum naturalium Hermathena epigrāma. *Quæ Maris, & Terra peragrauit, & Aeris oras.* 196
Ad Auguſtinum Nerum Porciliani Dominum in flore ætatis extinctum epigramma. *Effera mors Flora paſſim bacchata per Vrbem.* 197
De Attilio Regulo epigramma. *Ambigis an patria maior ſit cura ſalutis.* 198
De ſtatua Niobes in Hortis Mediceis epigramma. *Bis ſeptem Niobe natis, orbataque caro.* pag. 199
Ad Ioannem Pelicanum Senatorem Vrbis, in Petri Victorij librum de cultura olearum epigramma. *Hunc Pelicane Petri ſumma ſcriptum arte libellum.* pag. 200
Ex Græco Anacreontis epigrāma.

ma. *Bos cornu, pedibus Sonipes, rictuq; Leones.* 201
De ſtatua Dianæ dormientis ad fontem epigramma. *Per Syluas iaculis nuper, curſuq; Diana.* pag. 202
Ad Clementem VIII. de Tabulario Pontificio in Arce Adriana epigramma. *Hoc nos ſcripta loco dubios contemnere caſus.* 203
Ad Marcum Antonium Roſſiũ eximium ſcriptorem epigrãma. *Vt variè formata ſuos tua littera tractus.* 204
Monomachia terreni, ac cæleſtis amoris epigrãma. *Quam duris animum curis dolor intimus angit.* 205
In miram huius ſæculi hyemali tempore florum varietatem epigramma. *Veris opes varios flores miratæ, ſuperbit.* 207

In ſanctum Leonem Tertium epigram. Græc. 208
Idem ex Græco. *Qua Mare, qua Terras pernici tranſuolat ala,* pag. 210
In S. Sebaſtiani imaginem epigram. Græc. 213
Idem ex Græco. *Depictus Chriſti miles, quem ſpicula figunt.* 212
In ornatum mulierum damnatum epigram. Græc. 213
Idem ex Græco. *Quid pulchram medicas faciem, collumq; lapillis.* pag. 214
De Vlyſſis Aldobrandi libris epigram. Græc. 215
Idem ex Græco. *Non Aldobrandum noſces ab imagine ſolum.* pag. 216
Diſticum Auſonij græce tranſlatum. *Infelix Dido &c.* 217
In Roſam epigram. Græc. 218.
Idem ex Græco. *Ingenitas quæ pandit opes, & odore ſuperbit.* pag. 219
In linguam Græcam epigram. Græc. 220
Idem ex Græco. *Cognita cui Græca diues ſit copia lingua.* 221

Ad Clementem VIII. Pont. Max. leuamen podagræ. *Sirius ſæuit canis, æſtuanſque.* 222
Ad Petrum Cardinalem Aldobrandinum Ferraria recepta. *Inſanienti cum quatit impetu.* pag. 225
Ad Franciſcum Caroli Fratris Filium exhortatio ad virtutem. *Ingreſſe pubis limina lubricis.* 230
Ad R.P. Antonium Barberinum Fratrem amantiſſimum, ex debellato corpore mentem in Cælum rapi. *Pars hominis deducta putri Telluris ab aluo.* pag. 235
Ad Carolum Fratrem φιλαῦτια fugienda. *Quam pulchra blandè ſenſibus ingerunt.* 239
Pax Allobrogica. *Mentis verendum non acie minùs.* 242

In

INDEX.

In opus Roberti Bellarmini Sãctæ Rom. Eccl. Cardinalis de aſcenſione mentis in Deum. *Summi decora dum ſpecie boni.* pag. 247

Ad Ioannem Ciampolum eius erga virtutem ſtudium laudat. *Aureo Virtus ſolio decora.* pag. 251

Ad Io: Baptiſtam Strozzam eius laudat animum Aeternitatis inhiantem bonis, & humana faſtidientem. *Curis ſolutum ruris in otio.* 254

Ad Gabrielem Chiabreram carmina virtuti parere immortalitatem. *Non cuſpis enſis, ſceptraque regia.* 257

Ad Flaminium Figliuccium Reſponſio ad laudes ſibi carmine artributas. *Vt blanda flores floribus implicat.* 260

Ad Aurelium Vrſum Alexãdros Farneſios, alterum Belli, alterum Pacis artibus inclytũ celebrandos proponit. *Iam ſat decoris marmore fontibus.* pag. 263

Adulatio perniciosa. *Cum Luna Cælo fulget, & auream.* 266

In Torporem Ode. *Lacte manantes fluuios canoro.* 271

Operarum errata.

Pagina 11. verſ. 19. pag. 144. verſ. 3. pag. 160. verſ. 1. & 2. notæ admirationis in notas interrogationis mutandæ ſunt. Eadem admirationis nota deleatur ex pag. 51. verſ. 11. & ea pagina 161. verſ. 6.

Pag. 35. verſ. 15. montibus albicat: montibus albicas.

Pag. 42. verſ. vltimo eius ſecula: eius in ſecula.

Pag. 136. extremo verſu lætamur: lactamur.

Pag. 257. verſ. 3. decora pimæuis: primæuis

Pag. 162. verſ. 11. Tene: Te ne.

Pag. 268. verſ. 9. renidet ſpendida: renidet ſplendida.

Et ſiquæ alia in oculos incidant, humanitas, & prudentia lectoris emendabit.

MAPHAEI
S. R. E. CARD.
BARBERINI
NVNC
VRBANI PP. VIII.
Poemata.

EX VETERI GEMMA



Supremũ Regimen, culta sata iugera terrae,
Mellis opus, tria sic tres potiora notant.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

POESIS PROBIS ET PIIS ORNATA DOCVMENTIS PRIMÆVO DECORI RESTITVENDA.

QVærentem viridi præcingere tempora lauro,
Labraq; Pegaſei tingere fontis aqua;
Me vocat antiquo ſpoliata decore Pöëſis,
Sequè ſacra formæ luce carere dolet.
Quæ loquitur, tacito mecum ſub pectore voluo,
Lapſaque ſic recolens tempora iure queror.
Cum viguit morum probitas, ſtudiumq; pudoris;
Admiſit Pindi nil, niſi caſta, Chorus.
Priſca nouem Muſas ætas in vertice montis
Frondiferum lauris incoluiſſe nemus:

Has inter finxit modulantem carmina Phœbum,
Et blandam digitis increpuiſſe lyram:
Fontis & Aonij puro diluta liquore
Vatum dulciloquos ora dediſſe modos.
Præruptus quid apex montis, placiduſq; receſſus,
Quid lyra, quid Phœbus, Pierideſq; monent
Arboreas inter frondes, cantuſq; volucrum,
Et faciunt longam quæ loca grata moram?
Semotus rerum ſtrepitu, vulgiq; tumultu
Artibus excultum qua Labor vrget opus;
Iucunda ſpecie, fontiſq; optabilis vnda
Per iuga difficilem ſuadet inire viam.
Quam Labor optat amans dum fertur in æthera, numquam
Decidua lauri Gloria fronde viret.
Attamen obnubens illum ſub nomine Phœbi,
Virginis hanc Daphnes fabula nota canit.
Quis blando cithara ſonitu potuiſſe recludi
Viuenti infernæ ferrea clauſtra domus?
Quiſnam tartareis reuocatam credat ab vmbris
Threicij precibus coniugis Euridicen?

Hu-

Humanos animos donec mortalia vinctos
Corporis anguſto carcere membra tenent:
Non Stygijs ab aquis, nec Auerni clauditur antro;
Sordibus at ſcelerum mens tenebroſa iacet:
Non Acherontæis furijs agitatur, at Orci
Aſſiduo premitur ſollicitata metu
Hanc Erebi è ſepto, merſam caligine culpæ,
Vt rurſus valeat libera luce frui,
Æmula virtutum ſeptem vis conſona chordis
Non citharæ plectro, ſed ratione vocat.
Eximios Helicon ſpecioſo cortice ſenſus
Abdidit, vt gemmas lucida concha tegit.
Ætas poſterior ſpreuit, quæ tecta latebant,
Extera perquirens, excipienſq́ ſinu.
Dicitur hinc Nymphæ captus fugientis amore
Phœbus, & amplexu non potuiſſe frui;
Hinc pulchris Orpheus oculis arſiſſe puellæ,
Pro qua non timuit Ditis adire fores;
Iuppiter ex alto pluuium delapſus in aurum
Hac Danaës violat fraude pudicitiam.

Et

Et ſpeciem Tauri, plumaſq; indutus oloris
Polluit Europæ, Tyndareumq; thorum.
Quis ferat impuros Venerem, Martemq; referri
Vulcani captos, implicitoſq; dolis?
Hinc Iuuenes proni in prauum, mala ſemina morum
Hauſerunt animo, peſtiferamq; luem.
Proh ſcelus! hanc turpi diffundunt carmine priſcis
Deteriùs, fictos qui coluere Deos,
Nomine poſthabito Chriſti, rituq; piorum
Dum fœdis modulis flagitioſa canunt;
Cultores addunt Veneri, pubemque pudicam
Dedecorum ſatagunt commaculare notis.
Sic falſos venerans olim gens impia Diuos,
Quà Crucis in Montis vertice truncus erat;
Cypridis erexit ſpiranti è marmore ſignum:
Hoc & Adoni ſimul te colere inſtituit.
O pietas Helenæ! Chriſti ſanctiſſima Cultrix
Hinc Crucis eiectum neſcia ferre decus,
Euertens Veneris cultum, pia ſigna ſalutis
Egregiè ſtructa præcipit Aede coli.

Ter

Ter felix Helene, tanto dignata triumpho.
Proh quantus Veneri nunc renouatur honor!
Carmina perq; manus hominum, perq; ora, vagantes
Sunt ſtatuæ, Aonius quas polit arte labor.
Quis nocuos tollet cultus ope carminis auctos,
Senſa metro claudens, quæ celebrata iuuent?
Cur magis oblectant lauri; felicior Arbos
Si Crux diuini pignus amoris habet?
Orphea cur canimus, penetrantem ad tartara, Victor
Si ſpolians Erebum IESVS *ad aſtra redit?*
Te ſpecies mutata trahit? ſpectacula lucis,
Et niuis in Chriſto dat tibi mira Thabor.
O mihi, quæ proſint, liceat diffundere cantu,
Sectanti veteres quæ cecinere Patres.
Auſpice quo? cuius nutum, ductumq; ſequatur
Mens mea, præclarum quæ meditatur opus?
Sit mihi Dux Moſes, rubras ad littoris vndas
Qui ſocios Phario duxit ab exilio,
Arida cum virga tactu veſtigia linquens
Inſterni tutum per freta vidit iter,

Suſpenſoſq; maris fluctus hinc inde relabi,
Abſorptaſq; rotas, & Pharaonis equos.
Quas rerum Domino perſoluit carmine grates
Dum reſonant hilari tympana quaſſa manu!
Ah pereat, caſtam quiſquis violare Pöëſim
Audet, & è myrto nectere ſerta comis.
Me trahat Iſaciæ cupidum pia Gloria palmæ,
Iordaniſq; ſacra qui fluit amnis aqua:
Sceptrifer hìc mentem recreans teſtudine vates
Rebus in aduerſis triſte leuabat onus:
Hac læſi meritam placauit Numinis iram,
Dum lacrymis mixtas fudit ab ore preces:
Hac Mundi naſcentis opes celebrauit, & almas
Diuinæ laudes & benefacta manus.
Iam nouus ex imo cordis mihi proſilit hymnus,
Et Chelys Hebræa me rapit vnus amor.
Fallor, an ex animis laſciui carminis ardor
Aufugit, & morum tabida peſtis abit?
Sic malus è Regis narratur corde Saûlis
Spiritus expulſus corripuiſſe fugam.

Diri-

Dirige iam dociles digitos Ieſsea Propago,
Dum mea dextra tuo pectine pulſat ebur.
Itala tu mecum Pubes cape nobile plectrum,
Et monſtrum Iſacia perge fugare lyra.

CANTICVM
MOYSIS
Exodi Cap. XV.

1. CANTEMVS Domino: glorioſè enim magnificatus eſt: equum, & aſcenſorem deiecit in mare.

2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

3. Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum.

4. Dominus, quaſi Vir Pugnator: omnipotens No-

PARAPHRASIS IN CANTICVM MOYSIS.

1. GLORIAM cæli Domino canamus:
Nam triumphalem referens honorem,
Hoſtium turmas, equites, equoſque
Obruit vndis.

2. Tu meum robur, mea laus, decuſque
Cælitum Rector: mihi tu potenti
Dextera præbes opifer cupitæ
Dona ſalutis.

3. Tu Deus magnus, mea lux, Parentis
Tu mei Numen, Columenq; rerum:
Te canet laudans mea vox, tibique
Tympana plaudent.

4. Eius, vt Dux omnipotens in armis
Nomen eſt: trudit Dominus phalanges

men eius: currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.

5. Electi Principes eius ſubmerſi ſunt in Mari rubro: Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.

6. Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: Dextera tua Domine percuſſit inimicum: & in multitudine Gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos.

7. Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos, ſicut ſtipulam: & in Spiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ.

8. Stetit vnda fluens: congregatæ ſunt Abyſſi in medio Mari.
Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea.
Euaginabo gladium meum: interficiet eos manus mea.

9. Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos Mare: ſub-

In mare, & fractos Pharaonis axes
Aequore mergit.

5. *Sicut abſorptum petit ima ſaxum,*
Sic Ducum primi, & Comites profundum
Gurgitis rubri ſubiere hiatu
Vorticis hauſti.

6. *Viribus pollens tua Dextra, laudum*
Emicat pulchra ſpecie: Cohortes
Strauit aduerſas: tua Dextra ſæuos
Perdidit hoſtes.

7. *Sic eos, tanquam ſtipulam per agros*
Flamma decurrens, tua deuorauit
Ira, ſuſpenſos pelagi relaxans
Flamine fluctus.

8. *Vnda ſtat pendens (inimicus inquit)*
Perſequar, ſtringam gladium: perempti
Concident paſſim: ſatiabor vltus
Diuite præda.

9. *Spiritus ſlauit tuus, & repente*
Defluens hoſtes aqua præliantes

Mer-

merſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

10. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia.

11. Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos Terra. Dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti:

12. Et portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.
Aſcenderunt Populi, & irati, ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſtijm.

13. Tunc conturbati ſunt Principes Edom: Robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

14. Irruat ſuper eos formido, & pauor: in magnitudine brachij tui.
Fiant immobiles quaſi lapis: donec pertranſeat

Merſit vt plumbum, maris & ſub imo
Condidit alueo.

10\. *Quis, Deus, bello tibi conferendus*
Fortis? aut Sanctus probitate par ſit,
Seu malos terres, facienſue mira
Protegis æquos?

11\. *Ad tui nutum digiti dehiſcens*
Impios tellus rapit, & redemptus
Te Ducem ſectans Populus viarum
Tuta capeſſit:

12\. *Hàc tuo ductu ſubiens ad Aram,*
Quæ tuum Nomen colit, ob dolorem
En Philiſtæos gemitu frementes
Cernit, & ira:

13\. *En Moabitas timor occupauit:*
Principes Edom trepidant: tenentur
Ceu gelu, dura Chanaan Coloni
Compede vincti.

14\. *Jrruens illos tua vis pauore*
Opprimat, donec pia Gens tuorum

Populus tuus Domine, donec pertranſeat Po-
pulus tuus iſte, quem poſſediſti.

Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.

15.

16.

Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ: Dominus regnabit in æternum, & vltra.

17. Ingreſſus eſt enim Eques Pharao cum Curribus, & Equitibus eius in mare, & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris:

18. Filij autem Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio eius.

Tranſeat: tamquam ſilices rigentes
Stent ſine motu.

15. *Nos tui Montis tribuas in Aede*
Incolas poni, tibi quam paraſti
Artifex, ſedes vbi te colendum
Sacra moratur.

16. *Imperat Victor Dominus: ſuperbos*
Conterens hoſtes, ſibi dedicatæ
Adſtitit Genti Deus, & perenne
Regnat in æuum.

17. *In rubri fluctus Pharao quadrigas*
Intulit Ponti; ſocios, & arma
Suſtulit Numen ſolidi refuſis
Gurgitis vndis.

18. *Mempheos frendens periJt Tyrannus*
Merſus: at ſicco pede tranſierunt
Iſraël Nati medium reciſi
Per maris æquor.

CANTICVM MOYSIS.

DEVTERONOMII XXXII.

1. AVDITE cœli quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

2. Concreſcat vt pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum:

3. Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina: quia nomen Domini inuocabo.

4. Date magnificentiam Deo noſtro: Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia.

PARAPHRASIS IN CANTICVM MOYSIS.

1. *TERRA meas audi voces, audite loquentem*
Sydera: 2. *Cõcreſcant ſenſus mihi mẽtis, vt imber,*
Et fluat eloquium labijs, ceu roſcidus humor,
3. *Ac veluti pluuiæ ſuper herbida paſcua guttæ:*
Nam mea cæleſtis Regem vox inuocat Aulæ.
4. *Laude Deum cumulate, Dei ſunt omnia partu*
Edita perfecto, calles quibus ambulat omnes

5. Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate, iuſtus, & rectus: peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus.

6. Generatio praua, atque peruerſa: hæccine reddis Domino, populus ſtulte, & inſipiens?

7. Numquid non ipſe eſt pater tuus: qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?

8. Memento dierum antiquorum: cogita generationes ſingulas.

9. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi:

10. Quando diuidebat Altiſſimus gentes: quando ſeparabat filios Adam.

11. Conſtituit terminos populorum: iuxta numerum filiorum Iſrael.

12. Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.

13. Inuenit eum in terra deſerta: in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis.

14. Circumduxit eum, & docuit: & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.

15. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos: & ſuper eos volitans.

16. Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum: atque portauit in humeris ſuis.

Iudicium: 5. Deus eſt iuſtus ſine labe: fidemque
Intactam ſeruat: polluto ſordibus almo
Nomine natorum venerandum crimine Numen
Læſerunt: 6. Soboles diris obnoxia culpis
Hæccine pro meritis reddis maleſana Parenti,
7. *Qui te de nihilo produxit in ætheris oras?*
8. *Progenies tecum priſcas, annoſque voluta*
Præteritos, 9. Quæras ab auis & patre, tibiquè
Concordes referent; 10. imum cùm Rector Olympi
Reſpiciens orbem, natos ſecreuit Adami,
11. *Diſpoſito varias diuiſit limite gentes*
Natorum iuxta numerum, quos edidit almus
Iſacides, 12. Domini verò pars vnus Iacob,
Illius & populus; 13. ſolis hunc vidit in aruis,
Deſertiſq; locis trepido terrore pauentem,
14. *Deduxitq; manu, tanquam nutricula paruum*
Infantem, tutatus eum ceu luminis orbes:
15. *Ac veluti pullos auium Regina volatu*
Prouocat, & ſequitur circum volitantibus alis,
16. *Detulit imponens humeris: Deus vnicus illi*

17. *Dux*

17. Dominus ſolus dux eius fuit : & non erat cum eo Deus alienus.

18. Conſtituit eum ſuper excelſam terram : vt comederet fructus agrorum.

19. Vt ſugeret mel de petra : oleumque de ſaxo duriſſimo.

20. Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan.

21. Et hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.

22. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus.

23. Dereliquit Deum factorem ſuum: & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

24. Prouocauerunt eum in dijs alienis: & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.

25. Immolauerunt dæmonijs, & non Deo : dijs, quos ignorabant.

26. Noui recenteſq; venerunt : quos non coluerunt patres eorum.

27. Deum qui te genuit, dereliquiſti: & oblitus es Domini creatoris tui.

17. *Dux fuit, atque comes Domino Deus exterus vllus*
Non erat: 18. *Excelſos illum perduxit in agros*
Vt fructus ederet terræ, 19. *melliſq́; liquorem*
Rupibus ex altis, ſuccumq́; hauriret oliui,
20. *Ex ouibus lactis latices, & ab vbere vaccæ*
Butyrum, Baſanq́; hœdis frueretur & agnis,
21. *Ac flauæ ſegetis granis albaque medulla,*
Et bibulas vuæ ſaturaret ſanguine venas.
22. *Dilectus nimium populus male gratus, & excors*
Impegit Domino pinguis poſt hordea calces:
23. *Terga Deo vertit, lucis qui tradidit olli*
Vſuram, & vitæ ſpirantes indidit auras,
Deſeruit Dominum galeam, clypeumq́; ſalutis:
24. *Huic acrem cultu bilem mouere nefando,*
Proh ſcelus. 25. *Et ſpreto cæleſtis Numine Regis*
Ignotos coluere Deos, & Dæmonis aras:
26. *Dij nuper venere noui, quos ritus auorum*
Neſcijt. 27. *Aeternum liquiſti perfide Numen,*
Cuius opus viuis, cuius tibi dextera vaſtam
Inſeruit paruo concluſam corpore mentem:

28. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: quia prouocauerunt eum filij ſui, & filiæ.

29. Et ait, Abſcondam faciem meam ab eis: & conſiderabo nouiſſima eorum.

30. Generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij,

31. Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus: & irritauerunt in vanitatibus ſuis.

32. Et ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus: & in gente ſtulta irritabo illos.

33. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo: & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.

34. Deuorabitque terram cum germine ſuo: & montium fundamenta comburet.

35. Congregabo ſuper eos mala: & ſagittas meas complebo in eis.

36. Conſumentur fame: & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.

37. Dentes beſtiarum immittam in eos: cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.

38. Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor: iuuenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene.

28. *Aſpexit Dominus, ſtimulis & concitus iræ*
Intumuit, fixitq; grauem ſub pectore noxam
Natorum, 29. *Dixitque, mei iubar oris ab illis*
Auertam, crimen perpendam mente ſupremum:
30. *Perdita flagitijs, exlex, infidaque proles,*
31. *Irritant animum falſi mihi Numinis aris,*
32. *Alter & aſcitus populus mihi prouocet illos,*
Qui modò non compos mentis deſpectus ineptit:
33. *Ignis inardeſcet, iuſtaq; incenſus ab ira*
Excurret rapidis terræ ſub viſcera flammis,
34. *Hauriet & terram viridi cum germine, montes*
Funditus exuret: 35. *Turmas acieſq; malorum*
In caput illorum cogam, cunctaſq; ſagittas
E pharetra fundam, 36. *Macie, duraque peribunt*
Eſurie, volucrum laniati præda iacebunt:
37. *Lethiferis illos ſerpentum dentibus eſcam*
Obijciam, ſæuiſq; feris rabidiſque moloſſis:
38. *Extera vaſtabit gladius, pauor intima carpet:*
Lactentes pueros abſumam cæde, ſeneſque,
Pubentes iuuenes ſimul, innuptaſque puellas.

39. Dixi, vbinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.

40. Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum.

41. Et dicerent, Manus noſtra excelſa: & non Dominus fecit hæc omnia.

42. Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent:

43. Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?

44. Nonne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos: & Dominus concluſit illos?

45. Non enim eſt Deus noſter, vt dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.

46. De vinea Sodomorum vinea eorum: & de ſuburbanis Gomorrhæ.

47. Vua eorum vua fellis: & botri amariſſimi.

48. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.

49. Nonne hæc condita ſunt apud me: & ſignata in theſauris meis?

50. Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore: vt labatur pes eorum.

39. *Dixi quò fugiunt? vbi ſunt? mea conteret illos*
Dextera, nec nomen poſthac memorabitur vſquam.
40. *Sed mea ſe differt, inhibens ſententia motum,*
Ne forſan tumidis inſultent cordibus hoſtes,
41. *Et dicant, virtutis opus ſunt omnia noſtræ:*
Non hæc geſta manu Domini: 42. *Gens indiga mentis,*
Prudentes vtinam ſaperent, ſupremaque ſano
Proſpicerent animo: 43. *Trepidas vt mille cohortes*
Vna fuget? 44. *Niſi quòd vinctas Deus ipſe Deorum*
Tradidit addicens immitis more cataſtæ.
45. *Non vt Dij reliqui, pictum, ſeu ſculptile Numen,*
Iordanis Deus omnipotens in ſecula viuit:
Noſter & eſt iudex hoſtis: 46. *Ceu vinea ſacris*
In Sodomæ campis, illorum vinea fundit
47. *Felle graues vuas, et amara bile racemos,*
48. *Fel colubri ſpecie vini. ſaniemque draconum,*
Aſpidis & virus nullis ſanabile ſuccis.
49. *Creditis hæc forſan nobis ignota latere?*
Nonne meos inter theſauros condita ſeruo!
50. *Me decet vltrices in tempore ſumere pœnas,*

51. Iuxta eſt dies perditionis: & adeſſe feſtinant tempora.

52. Iudicabit Dominus populum ſuum: & in ſeruis ſuis miſerebitur.

53. Videbit quòd infirmata ſit manus: & clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt.

54. Et dicet, Vbi ſunt dij eorum: in quibus habebant fiduciam?

55. De quorum victimis comedebant adipes: & bibebant vinum libaminum?

56. Surgant, & opitulentur vobis: & in neceſſitate vos protegant.

57. Videte quòd ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.

58. Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo: & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.

59. Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.

60. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea:

61. Reddam vltionem hoſtibus meis: & his, qui oderunt me, retribuam.

62. Inebriabo ſagittas meas ſanguine: & gladius meus deuorabit carnes.

Vòſque manet, certo ſternat qui funere, lapſus.
51. *Exitij tempus pernicibus aduolat alis:*
52. *Iſacidæ populum peruerſo corde rebellem*
Puniet, & ſeruis Dominus miſerebitur vltro:
53. *Aſpiciet languere manum ſub pondere belli,*
Atque fame abſumi reliquos munimine clauſos:
54. *Et dicet, veniant, & opem in diſcrimine vobis*
Numina veſtra ferant, quorum vos robore freti
Militiæ nomen dederatis, & arma tuliſtis:
Adueniant, vbi ſunt? 55. quorum dedit hoſtia vobis
Toſta cibos, dulcemque meri libamina potum,
57. *Ecce ego ſum ſolus, nullus Deus omnia nutu*
Temperat, æternum regnans me præter in æuum:
58. *Mors, & vita mihi parent, ſum vulneris author,*
Non oberit quiſquam, libeat ſi ferre ſalutem.
59. *Ecce manum tollam, dicens, in ſecula viuo;*
60. *Exacuam gladium flammantis fulguris inſtar,*
Iudicium arripiet directo cuſpidis ictu
Dextra, 61. Meos vindex arcum protendet in hoſtes:
62. *Ebria roranti ſtillabunt tela cruore:*


63. De cruore occiſorum , & de captiuitate , nudati inimicorum capitis .

64 Laudate gentes populum eius : quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur .

65. Et vindictam retribuet in hoſtes eorum , & propitius erit terræ populi ſui .

Gloria Patri &c.

Et gladius carnes hoſtili dente vorabit:
63. *Nudati primùm capitis, captiuaque cadet*
Agmina, quæ vinctis nexum ſenſere lacertis.
64. *Illius populum gentes laudate; ſuorum*
Nam meritas ſumet iuſto pro ſanguine pœnas,
65. *Et debellatos vindicta comprimet hoſtes,*
Præſentique ſuam defendet Numine gentem.
Supremo ſit honor Patri, ſit gloria Nato,
Spirituiq́; decus, quibus eſt æterna poteſtas.



PSALMVS PRIMVS.

1. BEATVS vir,qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

2. Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die, ac nocte.

3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſe-


IN PSALMVM PRIMVM

PARAPHRASIS.

HOratiana ode tricolos tetraſtrophos, ideſt habens in vnaquaque ſtropha tria genera verſuum, & verſus numero quatuor: duos primos Alcaicos dactylicos, tertium, Iambicum dimetrum hypercatalecticum, quartum Heroicotrochaicum conſtantem ex dactylis duobus, & totidem trochæis, vt in ſchemate primæ ſtrophæ patet.



Spond. — —	Iamb. ᴗ —	Cæſ. —	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Dactyl. — ᴗ ᴗ
Spond. — —	Iamb. ᴗ —	Cæſ. —	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Dactu. — ᴗ ᴗ
Iamb. ᴗ —	Iamb. ᴗ —	Spond. — —	Iamb. ᴗ —	Cæſ. —
Dactyl. — ᴗ ᴗ	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Troch. — ᴗ	Troch — ᴗ	



1. OTer beatus, qui fugit integer
Mores profanos, nec ſtetit in viri
Via ſceleſti; quique inire
Peſtiferam renuit cathedram:

2. *Hic, ſeu coruſcum ſol iubar exerit,*
Seu nox tenebris äëra contegit,
Cæleſtis è legis tenore
Iuſſa Dei meditans capeſſet,

3. *Eritque vt arbos, quæ prope riuuli*
Labentis vndam floruit, vberes

cus decurſus aquarum : quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo .

Et folium eius non defluet : & omnia,quæcunque faciet , proſperabuntur .

4. Non ſic impij , non ſic : ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ .

5. Ideo non reſurgent impij in iudicio : neque peccatores in concilio iuſtorum .

6. Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum : & iter impiorum peribit .

Edens ſuam fœtus ſub horam
Fructiferis opulenta ramis,
Quam frondium non deficiet vigor:
Et qualibet, quæ fecerit, omnia
Fœliciter cedent ſuperni
Numinis auxilio fauente.
4. *Non ſic iniquus, ſed velut impetu*
Abreptus Euri puluis in aëra
Vaneſcet, exturbatus æquo
Iudicio æthereis ab oris
5. *Longe à beatis cœtibus exulans.*
6. *Patris ſupremi luminibus via*
Eſt nota iuſtorum, perenni
Impius interitu peribit.

PSALMVS CXVI.


1\. LAVDATE Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

2\. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

3\. Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſecula ſeculorum. Amen.

Paraphraſis in Pſalmum CXVI.

PRimi duo cuiuſque ſtrophæ verſiculi ſunt iambici dimetri acatalectici, ex quatuor pedibus : tertius Glyconius , quartus Pherecratius ex tribus pedibus conſtantes : vt in prima ſtropha patet.



Spond. — —	Iamb. ∪ —	Spond. — —	Iamb. ∪ —
Spond. — —	Iamb. ∪ —	Spond. — —	Iamb. ∪ —

Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪
Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Spond. — —



1. *LAVDATE Regem ſyderum*
Gentes per Orbem diſſitæ:
Omnes & populi canant
Diæ laudis honores.

2. *Nam perſtat eius efficax*
Nos protegens clementia,
Inconcuſſaque veritas
Omni permanet æuo.

3. *Patri, ſimulq; Filio,*
Tibique, ſancte Spiritus,
Nunc ſit, iugiter vt fuit
Omni gloria ſeclo.

BIBLIOTECA NAZ.

PSALMVS CXXXVI.

1. SVPER flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion.

2. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.

3. Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.

Et qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5. Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.

6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.

Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ.

7. Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem:

IN PSALMVM CXXXVI.

PARAPHRASIS.

1. SEDIMVS in ripis flentes, Babylonis ad amnem,
Dum memores Solymæ nos pia cura ſubit.
2. Hic taciti ſalicum ſuſpendimus organa ramis,
Exoſi mixtis verba ciere ſonis:
3. Carmina ſuadebat nobis, quæ compede vinctos
Nos patrio abduxit de lare ſæua cohors.
Flexanimum nobis modulantes dicite carmen,
Quod cantare ſacra ſueuit in æde Sion,
4. Quì Domini vox noſtra pio modulamine dias
Externa laudes in regione canet?
5. Non delenda meam teneant obliuia dextram,
Si fuero oblitus ſacra tui Solyma.
6. Deficiat mea lingua meis in faucibus hærens,
Si non grata tui mens erit vſque memor:
Si qua mei poterunt admittere gaudia ſenſus,
Quæ pluris faciens te potiora rear.
7. Gentis Edom fixam condas in pectore noxam

Nec

Qui dicunt, Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.

8. Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

9. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

10. Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſecula ſeculorum. Amen.

Nec fugiat Solymæ te truculenta dies:
Nam genus infandum frendens, excindite, dixit,
In præceps donec funditus acta ruat.
8. *Infelix Babylon, felix quicunq; rependet*
Digna tuæ vindex præmia ſæuitiæ:
9. *Ter felix, quæcumque tuos ex vbere raptos*
Allidet ſaxis fœda cruore manus.
10. *Æterno ſit honor Patri, ſit gloria Nato,*
Et tibi perpetuum Spiritus alme decus.



CANTICVM EZECHIAE EX ISAIAE XXXVIII.

1. EGO dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.

2. Quæſiui reſiduum annorum meorum: dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.

Non aſpiciam hominem vltra, & habitatorem quietis.

3. Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me: quaſi tabernaculum paſtorum.

Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de mane vſque ad veſperam finies me.

IN CANTICVM EZECHIÆ PARAPHRASIS.

GEnus carminis duplex ex epodis horatianis, alterum hexametrum heroicum, alterum iambicum hexametrum.

Dactyl. —∪∪	Spond. — —	Spond. — —	Dactyl. —∪∪	Dactyl. —∪∪	Spond — —
Iamb. ∪ —	Iamb. ∪ —	Spond. — —	Iamb. ∪ —	Spond. — —	Iamb. ∪ —

1. IN medio vitæ curſu, mea deficit ætas:
Amica, dixi, me cadens lux deſeret?
Infernaſq; domos ſubeam? 2. Quò protinus, inquam,
Reliqua meorum pars dierum transfugit?
Non te viuentes inter mea lumina cernent,
Tuumq; templum conditor cæli Deus:
Non dabitur poſthac hominis mihi cernere vultum,
Nec, qui beatæ Ædem quietis incolit.
3. Abripitur mea progenies; nam Regia, quæ ſtat
In me, domus conuoluitur; plicatilis
Ceu caſa Paſtorum: ſubito mihi vita reciſa eſt;
Sic orſa textricis ſecat telam manus.
Mane præit; propero veſper iam lumine fulget:

4. Sperabam vſque ad mane: quaſi leo ſic contriuit
omnia oſſa mea.

5. De mane vſque ad veſperam finies me:ſicut pullus
hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati ſunt oculi mei,ſuſpicientes in excelſum.

6. Domine vim patior, reſponde pro me: quid di-
cam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fe-
cerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritu-
dine animæ meæ.

7. Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus
mei, corripies me, & viuificabis me. 8. Ecce
in pace amaritudo mea amariſſima.

9. Tu autem eruiſti animam meam, vt non peri-
ret: proieciſti poſt tergum tuum omnia pec-
cata mea.

10. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors
laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt
in lacum, veritatem tuam.

Inſtatq́; lucis tàm cito finis meæ!
4. *Sperabam, meliora dies vt poſtera ferret;*
At comminutæ ceu leonis dentibus
Sunt mihi compages, contritaq́; corporis oſſa:
5. *Heu mane viuens non videbo veſperam?*
Vox queſtus cohibere nequit: ſic ſtridet hirundo:
Sono columba lugubri ſic ingemit.
Languida ſuſpiciunt ſolùm mea lumina cælum:
6. *Me, ſumme rerum Rector, vt vis opprimit!*
O mihi dexter ades: quid poſſim dicere? præſtas
Maius petitis: membra morbus deſerit.
Iugiter exactos animus meditabitur annos,
Fundens amaras præ dolore lachrymas.
7. *Sic Deus, vt viuam tribuis? ſi vita mei ſic*
Eſt ſpiritus, me, viuus vt ſim, corripe:
8. *Ecce venit pax alma, fauis mihi dulcior Hyblæ*
Meus eſt amaror vſquequaque amarior.
9. *Nàm tua me ſæuæ rapuit clementia mortĩ,*
Proiecit hæc poſt terga molem criminum,
Qua fueram grauisio. An laudans hæc dicat Auerni


Super-

11. Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam.

12. Domine ſaluum me fac: & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

13. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto:

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.



Superbus hoſpes? annè ſpes in te locet?

11. *Hic tua facta canet viuens, vt carmine dicam*

Et ipſe, dicet & pater nepotibus.

12. *Me Deus incolumem ſerua: dum vita manebit*

Tuos honores plectra noſtra concinent:

Concentuq́; pio reſonabunt atria Templi,

Litat vbi ſupplex victimas tibi Sion.

13. *Aeterno ſit honor Patri, ſit gloria Nato,*

Tibiq́; laus, decuſq́; ſancte Spiritus.

CANTICVM TRIVM PVERORVM DANIELIS III.

1. BENEDICTVS es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula, & benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in omnibus ſeculis.

2. Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ: & ſuperlaudabilis, & ſupergloriosus in ſecula.

Benedictus es in throno regni tui, & ſuperlaudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula.

3. Benedictus es, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim, & laudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula.

Benedictus es in firmamento cæli & laudabilis, & glorioſus in ſecula.

4. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula.

PARAPHRASIS IN CANTICVM TRIVM PVERORVM.

GEnus carminis eſt Aſclepiadæum ex quatuor pedibus, primo Spondæo, ſecundo Dactylo cum Cæſura, tertio, & quarto etiam Dactylo.

Spond.	Dactyl.	Cæſ.	Dactyl.	Dactyl.
— —	— ∪ ∪	—	— ∪ ∪	— ∪ ∪

1. TE rerum dominum, te Deus Iſaci
Aeternæ canimus laudis honoribus:
Tollit noſtra tuum nomen in æthera
Vox concors: 2. Solio qui ſuper aureo,
Vt fons perpetuos vndiq; gloriæ
Diffundis radios: 3. Et ſuper Angelos,
Et ſupra Cherubin, innumerabiles
Annorum in ſeries omnia temperans,
Supremo reſides lucis in ambitu,
Et terræ latebras inſpicis abditas.
4. Vos, quæ Mens Domini condidit, omnia
Aeternam Domini dicite gloriam,

5. Benedicite Angeli Domini Domino benedicite cæli Domino.

6. Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

7. Benedicite Sol, & Luna Domino: benedicite ſtellæ cæli Domino.

8. Benedicite omnis imber, & ros Domino: benedicite omnis ſpiritus Dei Domino.

9. Benedicite ignis, & æſtus Domino: benedicite frigus, & æſtus Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino: benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies & niues Domino: benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Illum perpetuis tollite laudibus.

5\. *Aſtrorum Domino plaudite Cælites,*

Stellantes Dominum dicite vertices,

6\. *Cæleſti Dominum pſallite murmure*

Quæ connexa ſuper ſydera ſunt aquæ:

Virtutes Domini quælibet inclytis

Cantantes Dominum tollite laudibus.

7\. *Sol tu, qui radijs tempora cingeris,*

Tu, cuius facies lumine mutuo

Fulget, Luna, Dei dicite gloriam,

Regem Cælicolum dicite ſydera.

8\. *Ros, imber, pluuiæ, flamina, turbines*

Aeternis Dominum tollite laudibus:

Aeſtas, ignis, hyems, frigora, grandines,

Nix, quæ cum glacie in montibus albicat,

Et vos cana gelu gramina roſcido

9\. *Aeternam Domini dicite gloriam:*

Noctes cum tenebris, luce dies micans,

Et vos cum leuibus fulgura nubibus

Aeternis Dominum tollite laudibus.

10. Benedicat terra Dominum: laudet, & ſuperexaltet eum in ſecula.

11. Benedicite montes, & colles Domino: benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.

12. Benedicite fontes Domino: benedicite maria, & flumina Domino.

13. Benedicite cete, & omnia, quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cæli Domino.

14. Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.

15. Benedicat Iſrael Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

16. Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite ſerui Domini Domino.

17. Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum Domino: benedicite ſancti, & humiles corde Domino.

18. Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula:

10. *Tellus cum viridi germine frondium,*
11. *Colles frugiferi, culmina montium,*
Et gemmata nouis prata coloribus,
Vuarumq́; grauis vinea fœtibus,
Aeternam Domini dicite gloriam.
12. *Fontani latices, flumina, cæruli*
Fluctus, 13. *Et ſoboles humida piſcium,*
Et vos ò volucres ætheris incolæ,
Aeternis Dominum pſallite cantibus.
14. *Vos omnes pecudum cum grege beſtiæ,*
Vos proles hominum, 15. *vos domus Iſrael,*
16. *Et vos, qui Dominum ſanguine victimæ*
Placatis, Domini dicite gloriam.
17. *Vos, quorum pietas, puraque ſanctitas,*
Et recti ſtudium moribus integris
Aeterno Domino reddit amabiles,
Aeternis Dominum tollite laudibus.
18. *Concordis modulo vocis Anania,*
Et vos Azaria, & Miſael intimas
Cantantes Domino ſoluite gratias,

19. Quia eruit nos de inferno, & ſaluos fecit de ma-
nu mortis, & liberauit nos de medio ardentis
flammæ, & de medio ignis eruit nos.

19. *Nam vos ex Erebi faucibus abſtulit;*
Nam vos eripuit mortis ab vnguibus:
Nam vos è medijs eruit ignibus:
Immenſas Domino reddite gratias,
Lætis vnanimes plaudite vocibus,
Lætanti Dominum dicite carmine,
Aeternam Domini dicite gloriam,
Aeternis Dominum tollite laudibus.
Vos, quorum pietas reddit amabiles,
Aeternis Domino laudibus inclyto,
Concordes Dominum pſallite cantibus.
Non, vt Dij reliqui, ſolus in aureo
Sublimis ſolio ſubdita temporis
Frontem, & terga premens regnat, & inſima
Terrarum placido lumine reſpicit.

CANTICVM B. MARIAE VIRGINIS.

Lucæ capite primo.

1. MAGNIFICAT anima mea Dominum:

Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

2. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

3. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

Paraphraſis in Canticum
B. MARIAE VIRGINIS.

ODe Monocolos vniuerſa, ideſt ex verſibus vnius generis atque rationis: ſunt enim Iambici dimetri acatalectici, qui ad imparem ſedem præter ſpondæos, etiam anapeſtos admittunt.

Iamb. ᴗ —	Iamb. ᴗ —	Spond. — —	Iamb. ᴗ —
Spond — —	Iamb. ᴗ —	Spond. — —	Iamb. ᴗ —
Anapeſt. ᴗ ᴗ —	Iamb. ᴗ —	Spond. — —	Iamb. ᴗ —

1. *AD aſtra Regem cælitum*
Tollit meum cor laudibus,
Et in Deo, qui detulit
Mihi ſalutem, geſtiens
Exultat vſque ſpiritus.

2. *Placido ſuam nam lumine*
Famulam benignus reſpicit:
Meam canent in ſecula
Beatitatem poſteri.

3. *Me, cuius eſt potens manus,*
Sanctumque Nomen, vnicæ

4. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

5. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

6. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

7. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.

8. Suſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ.

9. Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, & ſemini eius ſecula.

Felicitatis vltimum
Euexit ad faſtigium.
4. *Quotquot fideli pectore*
Eum timent, cum filijs
Et filiorum filios
Dei fouet benignitas.
5. *Sternit potenti brachio,*
Et mente cordis intima,
Quos ſpiritus ſuperbiæ
Sublimiores euehunt.
6. *Deturbat ex eburneis*
Potentiores ſedibus,
Humileſque in altum ſubleuat:
7. *Bonis repleuit pauperem,*
Opeſque ademit diuiti.
8. *Suæ memor clementiæ*
Suſcepit Iſrael ſacro
Puerum ſuum cum gaudio;
9. *Vt eſt locutus patribus*
Noſtris, Abramo, & illius
Perenne in æuum ſemini.

CANTICVM ZACHARIÆ
Lucæ capite primo.

1. BENEDICTVS Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.
2. Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.
3. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum eius.
4. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.
5. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.
6. Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.
7. Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi.
8. In ſanctitate, & Iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.
9. Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.
10. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum.
11. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.
12. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

IN CANTICVM ZACHARIÆ PARAPHRASIS.

1. ISACIDVM Dominum ſacro vox conſona plectro
Concinat; inuiſit placidus, largoq; redemit.
2. Sponte ſuùm pretio populum, nobiſq; ſalutis
Præſidium regale dedit de ſemine Dauid,
3. Vt veterum Vatum dictìs eſt ſæpe locutùs.
4. Ex inimicorum manibus tulit ille ſalutem,
5. Et noſtris clemens Patribus, quæ ſanxerat Abram
6. Compleuit iurata memor promiſſa, daturum
Se nobis penitus vacuis terroris; vt illi
7. Hoſtis ab inſidijs tuti famulemur in omni
8. Aetatis noſtræ curſu pietatis amantes.
9. Tuq; puer Vates Regis dicère perennis:
Aſpera quippe viæ ſternes, Dominoq; præibis
10. Erudiens culpæ ſoluendas compede gentes.
11. Nos Deus inuiſit miſerans, exortus ab alto
12. Ferre nouam lucem in gelidæ recubantibus vmbra,
Et mortis tenebris, vt recto calle per almum
Pacis iter noſtri valeant incedere greſſus.

CANTICVM SIMEONIS.

Lucæ capite II.

1. NVNC dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.

2. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.


3. Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

4. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

HYM-

IN CANTICVM SIMEONIS PARAPHRASIS.

ODe Horatiana dicolos tetraſtrophos, ideſt, ex duplici genere carminum, & ex quatuor in vnaquaque ſtropha carminibus : eius metra ſunt ſapphicum triplex ex quinque pedibus, & ſimplex adonium ex duobus.



Troch. — ᴗ	Spond. — —	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Troch. — ᴗ	Troch. — ᴗ
Troch. — ᴗ	Spond. — —	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Troch. — ᴗ	Troch. — ᴗ
Troch. — ᴗ	Spond. — —	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Troch. — ᴗ	Troch. — ᴗ
Dactyl. — ᴗ ᴗ	Spond. — —			



1. *NVNC tuo, iuxta tua dicta, ſeruo*
Solue vitales pater alme nexus;

2. *Cernit Auctorem mea lux ſalutis:*
Excipit vlna,

3. *Quem tuo Regem populo paraſti,*

4. *Gentium lumen tenebris fugandis,*
Gloriam Dauid, decus & perenne
Iſacidarum.

HYMNVS SS. AMBROSII ET AVGVSTINI.

1. TE Deum laudamus : te Dominum confitemur.

2. Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cæli, & vniuerſæ poteſtates.

3. Tibi Cherubim,& Seraphim inceſſabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

4. Pleni ſunt cæli, & terra Maieſtatis gloriæ tuæ.

IN HYMNVM SS. AMBROSII ET AVGVSTINI
PARAPHRASIS.

IAmbici ſunt trimetri, & dimetri acatalectici e ſenis, quaterniſq; pedibus.

Spond.	Iamb.	Spond.	Iamb.	Spond.	Iamb.
— —	∪ —	— —	∪ —	— —	∪ —

Spond.	Iamb.	Spond.	Iamb.
— —	∪ —	— —	∪ —

1\. *LAVDAMVS omnes te Deum, te Syderum,*
Orbiſq; Regem dicimus:
2\. *Telluris omnis tractus, & maris plaga*
Patrem perennem te colit:
3\. *Sanctum beata Cherubin, & Angeli,*
Sanctum Poli te vertices,
Sanctum Chori te Cælitum, te exercitus,
Te pacis æternæ Deum,
Dominumq; voce conſona ter optimum
Indeſinenter concinunt.
4\. *Sublime terram gloriæ culmen tuæ,*
Cælique complet ambitum.

5. Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te Per Orbem terrarum ſancta confitetur Ecclefia.

6. Patrem immenſæ maieſtatis.

7. Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.

8. Sanctum quoque paraclitum Spiritum.

9. Tu rex gloriæ Chriſte.

10. Tu Patris ſempiternus es Filius.

11. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum.

12. Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cælorum.

13. Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris.

14. Iudex crederis eſſe venturus.

15. Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni: quos pretioſo ſanguine redemiſti:

16. Aeterna fac cum ſanctis tuis gloria munerari.

5. *Vates ſacri te, Martyres, & Virgines,*
Apoſtolorum te Chorus
Laudat; per Orbis terminos fidelium
Te confitentur agmina:
6. *Summæ Patrem potentiæ,* 7. *Sanctum tuum,*
Verum, vnicumq; Filium,
8. *Almumq; Spiritum:* 9 *ſupremus gloriæ*
Tu Rex: 10. *Perennis Filius,*
Tu Chriſte: 11. *Virginis ſacra te claudere es*
Dignatus aluo, perditi
Hominis redemptor vt fores! 12. *tu viribus*
Mortis reciſis, lucidam
Cæli recludis ſemitam credentibus,
Sedeſque felices paras.
13. *Tu Patris ad dextram Dei regnas, pari*
Fruens beatus gloria.
14. *Venturus eſſe crederis Iudex.* 15. *Tuo*
Iuua redemptos ſanguine:
16 *Concede, vt inter ordines Cæleſtium*
Beent ſuprema gaudia:

17. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ.

18. Et rege eos, & extolle illos vſque in æternum.

19 Per ſingulos dies benedicimus te.

20. Et laudamus nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

21. Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

22. Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

23. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

24. In te Domine ſperaui: non confundar in æternum.

17. Gregem tuum ne deſeras, 18. illum rege,
Paſcens ſalubri pabulo.
19. Laudamus omnes te diebus ſingulis,
20. Tuoq́; ſancto Nomini
Genu precantes flectimus; 21. tu criminum
Contagione libera
Nos hoc die, 22. tua fouens clementia
23. (Hæc noſtra ſpes) nos erige.
24. Fidens tibi, ſuperne Rex, vnquam mea
Non ſpe ſalutis excidam.

IN CHRISTI DOMINI

Natalem diem.

GEnus carminis eſt ex Epodis Horatianis heroico, & iambico ſenario puro comprehenſum.

Dactyl.	Dactyl.	Dactyl.	Spond.	Dactyl.	Spond.
— ∪ ∪	— ∪ ∪	— ∪ ∪	— —	— ∪ ∪	— —
Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.
∪ —	∪ —	∪ —	∪ —	∪ —	∪ —


NASCERIS alme Puer gelidæ ſub tempora brumæ,
Nec igne fota mollis excipit torus
Membra tenella. iaces arenti nudus in herba
Inops, rigenſq; frigore inter humida
Nigrantes noctis tenebras, ſub paupere tecto,
Tibiq; deeſt, vbi recumbat occiput.
Vt nos non ſolum doceas, dum linquis Olympum,
Per hos gradus malorum ad aſtra progredi:
Sed quia nunc iterum Cæli Sol igneus orbem
Remenſus, aureo ſedens in eſſedo

Ad

Ad nos regrediens tendit, celereſq́ iugales
Reflectit, vt ſuam recurrat orbitam.
Ceu Iani eſt annum ſolito de more Kalendis
Nouum auſpicata Ciuitas Quiritium:
Hinc quoque te nato, nobis felicior annus,
Puer, ſalutis Orbis author incipit.
Quandoquidem vero fulgentem lumine Solem,
Vetuſta quo fugatur vmbra criminum:
Te genus humanum noſcit, veneratur, adorat,
Et excitat ſopore victa lumina.

CHRISTI DOMINI
MOX MORITVRI CVM BEATISSIMA
MARIA MATRE
COLLOQVIVM.

ODe Horatiana tricolos tetraſtrophos, ideſt ex tribus generibus carminum, & ex quatuor in vnaquaque ſtropha carminibus. Metra ſunt geminum Aſclepiadæum, Pherecratium ſimplex, & Glyconium.



Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Cæſ. —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪
Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Cæſ. —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪
Spond. — —	Dactyl — ∪ ∪	Spond. — —		
Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪		



CH. I*NSTAT ſacra Parens temporis vltimum*
Momentum: rapiunt me tibi, quæ vocant
Summi iuſſa Parentis
Optatam crucis ad necem.

M. V. *Heu fili miſeram ſiccine deſeris*
Matrem? me miſeram, cor mihi ſaucias
Dura cuſpide vocis:

Sic

Sic me lux mea deſeris?

CH. *Iam primis animam mors petit ictibus:*
Non ſic tranſadiget cor mihi lancea,
Vt morſu tuus angor
Carpens viſcera diuidit.

M. V. *Per quod iam puero lac tibi præbui,*
Ne me, qui cruciet linque ſuperſtitem
Tanto Nate dolori:
Ah pro te moriar, precor.

CH. *Dum mors me rapiet, te manet acrior*
Qui, dum me pareres non tetigit, dolor:
Orbi non tulit ortus
Vitam, mors mea deferet.

M. V. *Heu ſaltem miſeræ da mihi præmori.*

CH. *Patris, dum moriar, viuere te iubet*
Non mutanda voluntas.

M. V. *Saltem da mihi commori.*

CH. *Me complexa ſat es, non licet amplius:*
Te iam (quid retinent me tua brachia?)
Mater linquere cogor:
Iudæ me vocat oſculum.

AD DIVINVM SPIRITVM

HYMNVS.

IN quo Glyconios quatuor catullianos Pherecratius quintus in vnaquaque ſtropha complectitur. Ab alijs ijdem verſus appellantur choriambici; quia poſt duos choræos duos habeant Iambos.

Spi ri	*tus ſu*	*pe rum*	*de cus*
— ∪	— ∪	∪ —	∪ —

Sed poſt vnicum choræum, ſiue ſpondæum duo etiam dactyli diſtingui poſſunt in Glyconio.

Spi ri	*tus ſu pe*	*rum de cus*
— ∪	— ∪ ∪	— ∪ ∪
Col lis	*ò be li*	*co ni i*

Pherecratius habet dactylum medium inter duos vt plurimum ſpondæos apud Alios: apud Catullum etiam choræos, ſiue trochæos.

Di a	*fla mi nis*	*Au ra*
— ∪	— ∪ ∪	— ∪
Lu te	*vm pe de*	*ſoc cum*

SPIRITVS Superum decus,
Sancta ſyderea Domus
Aura labere cælitus,
Aura ſacra, ter optimi
Dia Flaminis Aura.

Spiritus

Spiritus radians veni,
Terror Agminis inferi,
Efficax Hominum ſalus,
Aura ſacra, ter optimi
Dia Flaminis Aura.

Increata Potentia,
Nutus ætherei globi,
Filij ſimul, & Patris
Non ſolutile vinculum,
Fax perennis Amoris.

Alma lux ſapientiæ,
Dulcis Hoſpita mentium,
Cordis ardor amabilis
Ima pectoris occupa,
Igne pectus adure.

Fauſta Nuncia gaudij,
Flamma pronuba Gratiæ
Præpes adueniens ades:
Noſtra coniugij ſacri
Necte compede corda.

Mens tuo ſine Numine
Hæret, vt ſine palmulis
Puppis, & ſine linteo:
Torpet, vt fluuius gelu, &
Terra cana pruinis.
Cor tuo ſine munere
Squalet, vt ſine fructibus
Arbor, & ſine frondibus:
Hortus vt ſine floribus,
Solis aridus æſtu.
Ter beatus, & amplius,
Cui tuum iubar inſidet
Pectoris penetralibus:
Purus huic animus nitet
Lilio magis albo.
Ter beatus, & amplius,
Cuius innocuum ſinum
Incolit tua Caritas:
Verna ſic oriens Roſa
Mane fundit odorem.

Quos tenaciter implicat
Otij ſopor, excitas:
Quos graui ſcelus impium
Mole deprimit, erigis:
Monſtra proteris Orci.
Tu leuamen in arduis,
Lumen in tenebris micans,
Debiles ope ſubleuas:
Tu potens vigor anxijs,
Vera tu via vitæ.
Vna meta laboribus,
Noſtra ſpes, amor, & quies,
Alma copula Cælitum,
Tu cupita Beatitas,
Tu ſuprema Voluptas.
Fauſta Nuncia gaudij,
Dulcis Hoſpita cordium,
Sancta lux animi veni,
Aura ſacra, ter optimi
Dia Flaminis Aura.

DE S. IO: BAPTISTA ODE.

IN ſtrophis, & antiſtrophis huius Odæ genera carminum ſunt vndecim, Alcaicum dactylicum, Pherecratium, Glyconium, Iambicum dimetrum, Sapphicum, Iambicum trimetrum, Semelegum; ideſt dimidiatum elegiacum, Aſclepiadæum, Adonium, Heroicum, Iambicum trimetrum catalecticum, quod & pendulum Trapezuntio, claudum Terentiano, deficiens alijs, & imperfectum: carmina verò numero 15. enumerantur, Horatiana omnia, vt ſubiectum ſchema ponit ob oculos.

I.	Ex Horatio li. 1. Ode 9.	*Vides.* ∪ — Iamb.	*vt. al- ta.* ∪ — — Iamb. Cæſ	*ſtet. niue.* — ∪ ∪ Dactyl.	*candidum* — ∪ ∪ Dactyl.			Alcæi dactylicum ex quatuor pedibus, & cæſura.
II.	Lib. primo Ode 5.	*Nigris.* — — Spond.	*æquora.* — ∪ ∪ Dactyl.	*ventis* — — Spond.				Pherecratium ex tribus pedibus.
III.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. Te.* — — Spond.	*Diua. po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens. Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconium ex tribus pedibus.
IV.	Epodon Ode 2.	*Vt. priſ-* — — Spond.	*ca. gens.* ∪ — Iamb.	*Morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicum dimetrum ex quatuor pedibus
V.	Lib. primo Ode 9.	*Sorac-* — — Spond.	*te. nec. iam.* ∪ — — Iamb. Cæſ.	*ſuſtine-* — ∪ ∪ Dactyl.	*ant. onus* — ∪ ∪ Dactyl.			Alcaicum dactylicū, ex quatuor pedibus, & cæſura.
VI.	Lib. primo Ode 2.	*Iam. ſa-* — ∪ Troch.	*tis. ter-* — — Spond.	*ris. niuis.* — ∪ ∪ Dactyl.	*atque.* — ∪ Troch.	*diræ* — ∪ Troch. vel	Spond.	Sapphicum ex quinque pedibus.
VII.	Epodon Ode 2.	*Vt. priſ-* — — Spond.	*ca. gens.* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicum dimetrum ex quatuor pedibus.
VIII	Epodon Ode 9.	*Quando.* — — Spond.	*re-poſ-* ∪ — Iamb.	*tum. Cæ-* — — Spond.	*cubum. ad.* ∪ — Iamb.	*feſtas.* — — Spond.	*dapes* ∪ — Iamb.	Iambicum trimetrum acatalecticum e ſex pedibus.
IX.	Epodon Ode 11.	*Scribere.* — ∪ ∪ Dactyl.	*verſicu* — ∪ ∪ Dactyl	*los* — Cæſ.				Semelegum dactylicum ex pedibus duobus, & cæſura.
X.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. te.* — — Spond.	*Diua. po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens. Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconium e tribus pedibus.
XI.	Lib. primo Ode 1.	*Mæce-* — — Spond.	*nas. ata-* — ∪ ∪ Dactyl.	*uis.* — Cæſ.	*edite.* — ∪ ∪ Dactyl.	*Regibus* — ∪ ∪ Dactyl.		Aſclepiadæū, ex quatuor pedibus, & cæſura.
XII.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. Te.* — — Spond.	*Diua. po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens. Cypr.* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconium ex tribus pedibus, vt ſupra.
XIII.	Lib. primo Ode 2.	*Terruit.* — ∪ ∪ Dactyl.	*Vrbem,* — ∪ Troch. vel	Spond.				Adonium ex duobus pedibus.
XIV.	Lib. primo Ode 7.	*Lauda-* — — Spond.	*bunt. ali-* — ∪ ∪ Dactyl.	*i. cla-* — — Spond.	*rā. Rhodon.* — ∪ ∪ Dactyl.	*aut. Myti.* — ∪ ∪ Dactyl.	*lenen* — — Spond.	Heroicum e ſex pedibus.
XV.	Lib primo Ode 4.	*Vulca-* — — Spond.	*nus. ar-* ∪ — Iamb.	*dens. v* — — Spond.	*ſit. of-* ∪ — Iamb	*fici-* ∪ — Iamb.	*nas* — Cæſura	Iambicum trimetrum catalecticum cui deeſt vna Syllaba, & quinta ſemper in ſede iambum requirit.

STRO-

STROPHE I.

Verſuum XV.

INVECTA bigis Cynthia candido
Pellens ore tenebras
Argenti nitidum iubar
Diffundit inter ſydera:
Hinc inde vitro per caua fiſtulæ
Vidit hæc ætas Venerem bicornem
Fulgere Phœbes æmulam:
Sed luce lucent Solis; hic fons luminis
Splendet, & irradiat
Cœli ſydereos globos,
Terrarumq; plagas, & maris æquora.
Talis crinibus aureis,
Fronte ſerena,
Formoſisq; genis, oculiſq; micantibus, vllo
Non compta fuco Veritas coruſcat.

ANTISTROPHE I.

VERSVVM QVINDECIM NVMERO FORMAQVE Strophæ antecedenti reſpondens.

QVOD IN RELIQVIS omnibus ſtrophis, & antiſtrophis, trium etiam Odarum ſequentium pindarico more ſeruatum eſt.

PHÆBVS liquentem non tamen äëra
Semper luce ſerenat,
Non ſemper mare cærulum
Tranquillat auræ flatibus,
Culto nec agri fertilis è ſinu
Elicit flores, neque germinantis
E flore fœtus arboris;
Atris ſed obtegens polum vaporibus
Sæpe ciet pluuias,

Nimbos,

Nimbos, & gelidas niues,
Horrendos tonitrus, diraq; fulmina.
Sic & lingua fidelibus
Nuncia veri
Vocibus exacuit gladios, & ſuſcitat iram,
Feruens cruentas edit ira cædes.

EPodi ſinguli huius Odæ duodecim in carminibus vndecim etiam habent genera carminum, Pherecratium, Sapphicum, Iambicum dimetrum hypercatalecticum, ideſt vna redundante ſyllaba, Glyconium, Iambicum trimetrum catalecticum, Alcaicum dactylicum, Iambicum trimetrum, Semelegum, Iambicum dimetrum, Aſclepiadæum, Alcæi dactylicum heroicotrochaicum, ideſt ex heroici, & ſemitrochaici partibus miſtum, omnia ab Horatianis fontibus deriuata, quorum ſchema damus huiuſmodi.

I.	Ex Horatio li. 1. Ode 5.	*Nigris.* — — Spond.	*æquora.* — ∪ ∪ Dactyl.	*ventis* — — Spond.				Pherecratium ex tribus pedibus.
II.	Lib. primo Ode 2.	*Iam. ſa-* — ∪ Troch.	*tis. ter-* — — Spond.	*ris. niuis* — ∪ ∪ Dactyl.	*atque.* — ∪ Troch.	*dira* — ∪ Troch. vel	Spond.	Sapphicum ex quinque pedibus.
III.	Lib. primo Ode 9.	*Sylua.* — — Spond.	*labo-* ∪ — Iamb.	*rantes.* — — Spond.	*gelu.* ∪ — Iamb.	*que* — Syllab.		Iambicum dimetrum hypercatalecticum ex 4. pedibus, & Syllab.
IV.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. Te.* — — Spond.	*Diua, po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens. Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconium ex tribus pedibus.
V.	Lib. primo Ode 5.	*Nigris.* — — Spond.	*æquora.* — ∪ ∪ Dactyl.	*ventis* — — Spond.				Pherecratium ex tribus pedibus.
VI.	Lib. primo Ode 4.	*Vulca-* — — Spond.	*nus. ar-* ∪ — Iamb.	*deus. v-* — — Spond.	*rit. of-* ∪ — Iamb.	*fici-* ∪ — Iamb.	*nas* — Syll. & Cæſ.	Iambicum trimetrum catalecticum ex quinque pedibus, & Syll.
VII.	Lib. primo Ode 19.	*Sorac-* — — Spond.	*te. nec* ∪ — Iamb.	*iam.* — Cæſ.	*ſuſtine-* — ∪ ∪ Dactyl.	*ant. onus* — ∪ ∪ Dactyl.		Alcæi dactylicum ex quatuor pedibus, & Syllaba, ſeu cæſura.
VIII.	Epodon Ode 9.	*Quando.* — — Spond.	*repoſ-* ∪ — Iamb.	*tum. Cæ-* — — Spond.	*cubum. ad.* ∪ — Iamb.	*feſtas.* — — Spond.	*dapes* ∪ — Iamb.	Iambicum trimetrum e ſex pedibus.
IX.	Epodon Ode 11.	*Scribere.* — ∪ ∪ Dactyl.	*Verſicu-* — ∪ ∪ Dactyl	*los* — Cæſ.				Semelegum dactylicum ex duobus pedibus, & cæſura.
X.	Epodon Ode 7.	*Scele-* ∪ — Iamb.	*neſpo-* ∪ — Iamb.	*tibus.* ∪ — Iamb.	*cruor* ∪ — Iamb.			Iambicum dimetrum ex quatuor pedibus.
XI.	Lib. primo Ode 1.	*Mæce-* — — Spond.	*nas. ata-* — ∪ ∪ Dactyl.	*uis.* — Cæſ.	*edite.* — ∪ ∪ Dactyl.	*Regibus* — ∪ ∪ Dactyl.		Aſclepiadæũ ex quatuor pedibus, & cæſura.
XII.	Lib. primo Ode 9.	*Flumina.* — ∪ ∪ Dactyl.	*conſtite-* — ∪ ∪ Dactyl.	*rint. a-* — ∪ Troch.	*cuto* — ∪ Troch. vel	Spond.		Alcæi dactylicum heroicotrochaicum ex quatuor pedibus.

EPO-

EPODVS I.

Verſuum XII.

TV Iordanis ad vndas,
Qui ſacrum Ieſu caput abluiſti
Sis teſtis, inceſtum tyrannum
Vera voce redarguens.
Indignata furentes
Hinc haurit imis ſpiritus medullis,
Iraq; ſæuo turbine concita
Curas tumenti corde nutrit vindices,
Vincla parans mulier,
Trucisq; carceris ſpecum, &
Atrox conſilium concipit, vt tuum
Stringat in exitium ſecurim.

STROPHE II.

Verſuum XV.

HERODIANAM gaudia Regiam,
Regnantemq; replebant,
Ortus ob celebrem ſui
Diem, quotannis nobili
Cultum paratu, non ſine cantibus,
Et lyra plectro; Proceres ad aulæ
Pompam frequentes venerant:
Renidet hic paries amictus purpura:
Aurea vaſa micant,
Et gemmata toreumata:
Auro texta tori ſtragula ſerica
Pictoris referunt opus:
Pocula lucent:
Circumſtant pueri menſam, qui dona Lyæi
Vnguenta, flores, & dapes miniſtrant.

ANTISTROPHE II.
Verſuum XV.

HÆC inter ægra mente recogitans
Iuſtæ verbera vocis,
Inuiſo capiti feros
Struens dolos Herodias,
Natæ, quid optet, nutibus indicat:
Mox iubet feſtas choreas inire:
Hæc obſecuta, leniter
Inclinat ante Regis aureum torum
Crura, decenſq; caput,
Dein gyro glomerat vago
Greſſus in numerum: nunc pede candido
Se ſuſtollit, & aſſilit:
Nunc leuis auræ
In morem celeri percurrit percita motu
Excepta plauſu Regis intuentis.

EPODVS II.

VERSVVM DVODECIM NVMERO FORMAQVE Concinens Epodo primo.

QVOD PINDARICIS EPODIS omnibus eſt commune.

QVID cæco magis igne
Mentium lumen tenebris obumbrat?
Iuratus vltro Rex puellæ
Spondet, quod petet, impetu
Sacri abreptus amoris.
Tunc illa blandis intuens ocellis
Regem, parentis præmonitu ſagax,
Ioannis almum poſtulat cædi caput;
Rex iubet: innocua
Ceruix reſecta protinus
Deſertur patula lance, nocentibus
Dedecorum metuenda merces.

STROPHE III.
Verſuum XV.

EXTINCTA ſenſus ſpirat adhuc pios:
Vt ſic ore ſilenti
Infandos magis increpat
Amoris ignes? Quilibet
Dolet perempti funus, & impiam
Efferæ cauſam necis execratur.
Proh fœminæ mentem trucem!
Cum feruet ira, & aſtuat libidine.
Tam fera monſtra fretum,
Nec tellus generat; leo
Te viſo Daniel ſæuitiam exuit:
Illæſum maris horrida
Bellua Ionam
Littoribus reddit. Ferro par fœmina lædit,
Magiſq; flammis: Peſtis, & venenum eſt.

ANTISTROPHE III.

Verſuum quindecim.

AT pura caſtis moribus, & Dei
Iugi feruida cultu
Quam diſpar docet inclytis
Iuditta geſtis? vndiq;
Obſeßa caſtris Aſſyrij Ducis
Dum ſuis cladem pauet imminentem,
Animo cadens Bethulia
Mærebat; hanc Iuditta ſpes reſumere
Numine freta iubet:
Mox ponit viduæ ſtolam,
Et ſe lætitiæ veſtibus induens
Ductorem petit hoſtium;
Nactaq; cœnæ
Tempus, Holophernem vino, ſomnoq; iacentem
Ceruice fortis conficit reciſa.

EPODVS III.

Verſuum XII.

PER contraria duxit
Vna vos virtus, ſociatq; Cælo.
Tu Iudith occidens triumphas
Fuſis hoſtibus: occidens
Fuſo ſanguine palmam
Refers Ioannes. Quis tuos honores
Intexat hymnis, & colat, vt decet,
Te fulgidum cæli decus? mens deficit,
Deficit artis opus:
Mortalis vltra quid poteſt?
Nam te Chriſtiadum maxima, nomini
Sacra tuo veneratur AEdes.

DE S. MARIA MAGDALENA ODE.

VErſus 13. nouemq; verſuum genera numerantur in Strophis, & Antiſtrophis huius Odæ: dactylicus Alcaicus, Iambicus dimeter, Iambicus trimeter catalecticus, Sapphicus, Iambicus trimeter acatalecticus, hoc eſt abſolutus atque perfectus, Heroicus, Alcmanius dactylicus, Semelegus dactylicus, Adonius, Horatiani omnes, vt ſubijciuntur in ſchemate.

I.	Ex Horatio li. 1. Ode 9.	*Sorac-* — — Spond.	*te . nec .* ∪ — Iamb.	*iam .* — Cæſ.	*ſupine-* — ∪ ∪ Dactyl.	*ant . onus* — ∪ ∪ Dactyl.		Alcæi dactylicus ex pedibus 4. & cæſura.
II.	Epodon Ode 2.	*Vt . priſ-* — — Spond.	*ca . gens.* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicus dimeter ex quatuor pedibus.
III.	Epodon Ode 2.	*Vt . priſ-* — — Spond.	*ca . gens.* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicus dimeter ex 4. pedibus,
IV.	Lib. primo Ode 4.	*Vulca-* — — Spond.	*nus . ar-* ∪ — Iamb.	*dens . v-* — — Spond.	*rit . of-* ∪ — Iamb.	*fici-* ∪ — Iamb.	*nas* — Cæſ.	Iambicus trim. catalecticus ex quinque pedibus, & Cæſ.
V.	Lib primo Ode 2.	*Iam . ſa-* — ∪ Troch.	*tis . ter-* — — Spond.	*ris . niuis .* — ∪ ∪ Dactyl.	*atque .* — ∪ Troch.	*dira* — ∪ Troch. vel	— — Spond.	Sapphicus ex quinque pedibus.
VI.	Lib. primo Ode 9.	*Sorac-* — — Spond.	*te . nec .* ∪ — Iamb.	*iam .* — Cæſ.	*ſupine-* — ∪ ∪ Dactyl.	*ant . onus* — ∪ ∪ Dactyl.		Alcæi dactylicus ex quatuor pedibus, & cæſura.
VII.	Epodon Ode 9.	*Quando.* — — Spond.	*repeſ-* ∪ — Iamb.	*tum . ca-* — — Spond.	*cubum . ad* ∪ — Iamb.	*feſtas.* — — Spond.	*dapes.* ∪ — Iamb.	Iambicus trimeter ſex pedum.
VIII.	Lib. primo Ode 7.	*Vndique .* — ∪ ∪ Dactyl.	*decerp-* — — Spond.	*tam . fron-* — — Spond.	*ti . præ-* — — Spond.	*ponere . o-* — ∪ ∪ Dactyl.	*liuam* — — Spond.	Heroicus exameter.
IX.	Lib. primo Ode 7.	*Triſtiti-* — ∪ ∪ Dactyl.	*am . vi-* — — Spond.	*taque . la-* — ∪ ∪ Dactyl.	*bores* — — Spond.			Alcmanius dactylicus ex 4. vltimis Heroici pedibus.
X.	Epodon Ode 11.	*Scribere.* — ∪ ∪ Dactyl.	*verſicu-* — ∪ ∪ Dactyl.	*los* — Cæſ.				Semelegus dactylicus ex duobus dactylis, & cæſura.
XI.	Epodon Ode 1.	*Nec . vi .* ∪ — Iamb.	*ſuper-* ∪ — Iamb.	*ni . vil-* — — Spond.	*la . can-* ∪ — Iamb.	*dens . Tuſ-* — — Spond.	*culi* ∪ — Iamb.	Iambicus trimeter ſex pedum.
XII.	Lib. primo Ode 2.	*Iam . ſa-* — ∪ Troch.	*tis . ter-* — — Spond.	*ris . niuis .* — ∪ ∪ Dactyl.	*atque.* — ∪ Troch.	*dira* — ∪ Troch. vel	— — Spond.	Sapphicus ex quinque pedibus.
XIII.	Lib. primo Ode 1.	*Terruit .* — ∪ ∪ Dactyl.	*Vrbem* — ∪ Troch. vel	— — Spond.				Adonius ex duobus pedibus.

STRO-

STROPHE I.
Verſuum XIII.

INNIXA pennis verſicoloribus,
Bombyce fulgens diuite,
Molles reuincta floribus
Crines, procaci fronte, lubricoque
Adſpici vultu, facilique dulcis
Flexu loquelæ cordibus imperat
Mortalium, quos dum beare creditur,
Interimit ſuaui præbens ſub lacte venenum,
Atque truces molitur hyæna
Sæuior inſidias,
Nouuſque Protheus mille formas induit:
Vt ſacræ leges Themidis reſoluat,
Blanda voluptas.


ANTISTROPHE I.

Verſuum XIII.

HAEC innocenti ſanguine dexteram
Regis Dauidis polluit,
Quo nullus ante gratior
Regi ſupremo cælitum: capillis
Indidit caſis tibi vincla Sampſon,
Vt te ſuperbis traderet hoſtibus,
Quem nulla vis potuit ferocem ſubdere:
Huius & impulſu fallacia numina Diuum
Diuino dignatus honore eſt
Rex ſapiens Salomon,
Qui Conditori ſyderum quondam pius
Inclytam ſumptu, celebremque gaza
Struxerat Aedem.

Eiuſdem Epodus Odæ carminibus 10. & generibus carminum ſeptem abſoluitur, Iambico trimetro, Pherecratio, Glyconio, Iambico dimetro hypercatalectico, ideſt vna redundante ſyllaba, Iambico dimetro acatalectico, Alcaico dactylico, Heroicotrochaico, & Heroico, quorum omnium ex Horatio forma proponitur.

I.	Ex Horatio Epod. Ode 9.	*Quando.* — — Spond.	*repoſ-* ∪ — Iamb.	*tum. ca-* — — Spond.	*cubum. ad.* ∪ — Iamb.	*feſtas.* — — Spond.	*dapes* ∪ — Iamb.	Iambicum trimetrum e ſex pedibus.
II.	Lib. primo Ode 5.	*Nigris.* — — Spond.	*æquora.* — ∪ ∪ Dactyl.	*ventis* — — Spond.				Pherecratium ex tribus pedibus.
III.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. Te.* — — Spond.	*Diua. po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens. Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconium ex tribus pedibus.
IV.	Lib. primo Ode 9.	*ſyluæ.* — — Spond.	*labo-* ∪ — Iamb.	*-rantes.* — — Spond.	*gelu.* ∪ — Iamb.	*que* — Syllab.		Iambicum dimetrum hypercatalecticum ex 4. pedibus, & Syllab.
V.	Epodon Ode 2.	*Vt. priſ-* — — Spond.	*ca. gens.* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicum dimetrum ex quatuor pedibus.
VI.	Lib. primo Ode 9.	*Flumina.* — ∪ ∪ Dactyl.	*conſtite-* — ∪ ∪ Dactyl.	*rint. a-* — ∪ Troch.	*cuto* — ∪ Troch. vel Spond.			Heroicotrochaicum dactylicum ex quatuor pedibus.
VII.	Lib. primo Ode 7.	*Vndique.* — ∪ ∪ Dactyl.	*decerp-* — — Spond.	*tam. fron-* — — Spond.	*ti. præ-* — — Spond.	*ponere. o-* — ∪ ∪ Dactyl.	*liuam* — — Spond.	Heroicum exametrum.
VIII.	Epodon Ode 2.	*Pater-* ∪ — Iamb.	*na. ru-* ∪ — Iamb.	*ra. bo-* ∪ — Iamb.	*bus. e-* ∪ — Iamb.	*xercet.* — — Spond.	*ſuis* ∪ — Iamb.	Iambicum trimetrum ſex pedum.
IX.	Epodon Ode 2.	*Vt. priſ-* — — Spond.	*ca. gens.* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicum dimetrum ex quatuor pedibus.
X.	Lib. primo Ode 5.	*Nigris.* — — Spond.	*æquora.* — ∪ ∪ Dactyl.	*ventis* — — Spond.				Pherecratium ex tribus pedibus.



EPO-

EPODVS I.

Verſuum X.

QVid MAGDALENAM mirer incautā premi
Dura compede vinctam.
Dira ſub domina iugo
In flore primæuo iuuentæ ?
Quid excolentem corporis
Numine poſthabito decorem ?
Illa comas olim gemmis ornabat, & auro,
Studens amantibus videri pulchrior,
Pubemq; gaudens cernere
Lentis ignibus vri.

STRO-

STROPHE II.

Verſuum XIII.

AT cum Sororis vocibus anxijs
Chriſtus precantis annuit,
Almo iubente Spiritu,
E parte cæli deſilit ſerena,
Regiam vittis redimita frontem
Puro coruſcans lumine Gratia.
Vt pulchra nubes Iridis coloribus
Depictas pedibus premit, & felicis oliuæ
Defert donatura coronam!
Protinus his radijs
Icta cadit, artus detegens, & exhibet
Tabida nolens cute ſe videndam
Fœda voluptas.

ANTISTROPHE II.

Verſuum XIII.

TU MAGDALENE diſcutis inſitas
Mentis tenebras, & iacens
Immane monſtrum conſpicis
Non ante viſum. Quo pudore malas
Inficis? Quales gemitus profundis?
Iam margaritas ponis, & aureos
Incompta crines ſoluis, & Chriſto ream
Te ſiſtis, lacrymiſq; pedes veneraris obortis,
Atque ſacras mœſtiſſima plantas
Lambis, & imbre rigas,
Comiſq; tergis, & relata negligis
Probra, mox culpis capis exoluta
Pignus Amoris.

EPODVS II.

Verſuum X.

AMANSQVE amantis igne Chriſti feruida,
Flagris membra cruentans,
Priſcos prouida ſanguine
Extinguis ignes, & fideli
Amore conſtans, greſſibus
Impauidis ſequeris Magiſtrum
Per gladios, haſtaſq; Crucis miſerabile pondus.
Hæres ſepulchro lacrymans; & exerat,
Seu condat vndis Sol iubar,
Comples queſtibus auras.

STROPHE III.

Verſuum XIII.

AMOR pericli neſcius horridi
Ut morte perſtat fortior!
Fruſtra frementis æquoris
Iudæa frendens obijcit procellis
Te neci damnans: moderantis expers
Nautæ phaſelus non ope remigis,
Veliue currit humidas pelagi vias:
Se placidi ſternunt fluctus, ſe lucidus æther,
Nube carens, ventiſque ſerenat.
Iam Paphon, atque Rhodon,
Cretamque linquit, iam Zacynthi littora,
Et Cephalenum legit, Actiaſque
Proſpicit oras.

ANTISTROPHE III.
Verſuum XIII.

O QVAE trecentis hæc freta nauibus
Regina ſulcans, Cæſarem
Armis laceſſens, vltimam
Regnis parabas Italis ruinam:
Patrio pulſam lare MAGDALENAM
Si fluctuantis ludibrium maris,
Eſcam futuram piſcibus, nunc cerneres
Cælicolas inter diuini nectaris hauſtu
Sublatam ſuper æthera veſci,
Delicijſque frui
Cæleſtis aulæ, quid tibi mentis foret?
Quid decor formæ, Phariuſq; faſtus,
Sceptraque proſunt?

EPODVS III.
Verſuum X.

EN luce functa habes pudendam regij
Solùm nominis atro
Regni è funere gloriam:
Nec læta vixiſti; ſuperſtes
Vix unà puppis reddidit
Te patrio profugam Canopo.
Conderis & viuens latebris abſtruſa ſepulchri,
Coacta mox lethum colubri morſibus
Vltro ſubire, Cæſaris
Subducenda triumpho.

STROPHE IV.

Verſuum XIII.

AT MAGDALENE per Siculum fretum
Rabiem Charybdis præterit
Secura, fineſq; Italos
Egreſſa, tendit Gallicas ad vrbes.
Huc Dei nutu, ſuperumq; ductu
Appulſa portum Maſſiliæ tenet,
Nomenque Christi gentibus diſſeminat.
Hinc abrepta colit pendens in montibus antrum,
Quod frontem prope ſydera tollit.
Hìc gemit, & lacrymat:
Hìc Angelorum cœtibus canentium
Adſtat: hic vnum meditata Chriſtum,
Se quoque neſcit.

ANTISTROPHE IV.
Verſuum. XIII.

O ME patrato crimine ſordidum,
O me iacentem reſpice
Dux alma pœnitentium;
Te Chriſtus audit: nam tuis ſepulchro
Excitat fratrem precibus: furentis
Te de Draconis faucibus eximit,
Et lympidas è rupe lymphas elicit.
Salue cara Deo rupes, fons inclyte ſalue.
Iam Pindi mihi culmina ſordent:
Tu, ſacra lympha precor,
E corde prome lacrymas: pro carmine
Execror myrtum; mihi det coronam
Ramus oliuæ.

EPODVS IV.

Verſuum X.

OTER beatum, qui dolore percitus
Vitæ turpiter actæ
Labes fletibus eluit.
Virtutis in regno vel ipſis
Vero referta gaudio
E lacrymis oritur voluptas.
Nil tamen in tuto mortalibus, vltima donec
Recludat hora cuique ſortem; Gloria
Perennat vna Cælitum
Extra vulneris ictum.

DE S. LAVRENTIO ODE.

HVius Odæ Strophas, & Antiſtrophas omnes verſus duodecim, verſuum verò genera decem abſoluunt; Iambicus trimeter, Alcaicus dactylicus, Aſclepiadæus, Iambicus dimeter hypercatalecticus, Heroicus, Iambicus trimeter catalecticus, Sapphicus, Glyconius, Iambicus trimeter acatalecticus, & Alcæi Dactylicus heroicotrochaicus, vt ſubiecto numerantur in ſchemate.

I.	Ex Horatio Epod. Ode 1.	*Ami-* ∪ — Iamb.	*ce . pro-* ∪ — Iamb.	*pugna-* — — Spond.	*cula.* ∪ — Iamb.			Iambicus dimeter ex quatuor pedibus.
II.	Lib. primo Ode 9.	*Sorac-* — — Spond.	*te . nec* ∪ — Iamb.	*iam .* — Cæſ.	*ſuſtine-* — ∪ ∪ Dactyl.	*ant . onus* — ∪ ∪ Dactyl.		Alcæi dactylicus ex quatuor pedibus, & cæſura.
III.	Lib. primo Ode 1.	*Mæce-* — — Spond.	*nas . ata-* — ∪ ∪ Dactyl.	*uis* — Cæſ.	*edite .* — ∪ ∪ Dactyl.	*Regibus .* — ∪ ∪ Dactyl.		Aſclepiadæus ex quatuor pedibus, & cæſura.
IV.	Lib. primo Ode 9.	*Syluæ .* — — Spond.	*labo-* ∪ — Iamb.	*rantes .* — — Spond.	*gelu-* ∪ — Iamb.	*que* — Cæſ.		Iambicus dimeter hypercatalecticus ex 4. pedibus, & cæſ.
V.	Lib. primo Ode 7.	*Lauda-* — — Spond.	*bunt . ali-* — ∪ ∪ Dactyl.	*i . cla-* — — Spond.	*rā Rhodon.* — ∪ ∪ Dactyl.	*aut . Myti-* — ∪ ∪ Dactyl.	*lenen* — — Spond.	Heroicus exameter.
VI	Lib. primo Ode 4.	*Vulca-* — — Spond.	*nus . ar-* ∪ — Iamb.	*dens . v-* — — Spond.	*rit . of-* ∪ — Iamb.	*fici-* ∪ — Iamb.	*nas* — Cæſ.	Iambicus catalecticus ex quinque pedibus, & ſyll. ba.
VII.	Lib. primo Ode [illegible].	*Iam . ja-* — ∪ Troch.	*tis . ter-* — — Spond.	*ris . niuis .* — ∪ ∪ Dactyl.	*atque .* — ∪ Troch.	*diræ* — ∪ Troch. vel	Spond.	Sapphicus ex quinque pedibus.
VIII.	Lib. primo Ode 9.	*Syluæ.* — — Spond.	*labo-* ∪ — Iamb.	*rantes .* — — Spond.	*gelu-* ∪ — Iamb.	*que* — Cæſ.		Iambicus dimeter hypercatalecticus ex 4. pedibus, & ſyllab.
IX.	Lib. primo Ode 3.	*Sic . Te .* — — Spond.	*Diua . po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens . Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconius ex tribus pedibus.
X.	Epodon Ode 9.	*Quando .* — — Spond.	*repoſ-* ∪ — Iamb.	*tum . Ca-* — — Spond.	*cubum . ad .* ∪ — Iamb.	*feſtas .* — — Spond.	*dapes* ∪ — Iamb.	Iambicus trimeter acatalecticus e ſex pedibus.
XI.	Epodon Ode [illegible].	*Vt . priſ-* — — Spond.	*ca . gens .* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicus dimeter ex quatuor pedibus.
XII.	Lib. primo Ode 9.	*Flamina .* — ∪ ∪ Dactyl.	*conſtite-* — ∪ ∪ Dactyl.	*rint . a-* — ∪ Troch.	*cuto .* — ∪ Troch vel	Spond.		Alcæi dactylicus, heroicotrochaicus ex duobus Heroici dactylis, & duobus trochæis.

STRO-

STROPHE I.

Verſuum XII.

IBERA tellus, Auſtrio
Sub Rege felix, aurifero Tagi
Te dicant alij flumine nobilem,
Te claſſe, te bello ferocem,
Oceani dominam celebrent, Regniſq; potentem:
Hic Peruanis diuitem metallis,
Mexici gazis, Arabumq; conchis,
Et mercibus Goa beatam
Te laudet: fera prælia
Extollat alter, & triumphos Caroli,
Ac temperatis viuidum
Conſilijs animum Philippi.

ANTISTROPHE I.

Verſuum XII.

TE concinam Laurentij
Sacro Parentem lumine fulgidam:
Non illi facie funeris horrida
Immane tortoris repertum
Excuſſit ſolida veræ pietatis amorem
E mente: palmis nobiles, & oſtro
Clarus en inter Proceres, decorem
Indutus æternum, phalangis
Addit ſe comitem Duci,
Cui ſaxa primùm poſt trucem Chriſti necem
Coniecta probro gloriam,
Interitu peperere vitam.

EIuſdem Odæ verſus numero nouem, octo vero genera verſuum habet Epodus: Iambicum trimetrum, Dactylicum Alcmanium heroicum, Heptametrum Archilochium, Archilochium ſemitrochaicum, Iambicum trimetrum catalecticum, Glyconium, Semelegum, ideſt dimidiatum elegiacum, integrum Heroicum.

I.	ExHoratio Epod. Ode 9.	*Quando.* — — Spond.	*repoſ-* ◡ — Iamb.	*tum. Ca-* — — Spond.	*cubum. ad.* ◡ — Iamb.	*feſtas.* — — Spond.	*dapes* ◡ — Iamb.		Iambicus trimeter 6. pedibus cõſtãs.
II.	Lib. primo Ode 7.	*Mobili-* — ◡◡ Dactyl.	*bus. po-* — — Spond.	*maria.* — ◡◡ Dactyl	*tenis.* — — Spond.				Alcmanius dactylicus ex 4. vltimis Heroici pedibus.
III.	Lib. primo Ode 4.	*Vita.* — — Spond.	*Sũma. bre-* — ◡ ◡ Dactyl.	*uis. ſpem.* — — Spond.	*nos. vetat* — ◡◡ Dactyl.	*incho-* — ◡ Troch.	*are.* — ◡ Troch.	*longam* — ◡ Troch.	Heptameter Archilochius e 7. pedibus: primi 4. ex heroico, tres vlt. ex trochaico.
IV.	Lib. ſecũdo Ode 18.	*Non. e-* — ◡ Troch.	*bur. ne-* — ◡ Troch.	*q; aure-* — ◡ Troch.	*um.* — Syllab.				Semitrochaicus Archilochius e tribus Trochæis, & Syllab.
V.	Lib. primo Ode 4.	*Vulca-* — — Spond.	*nus. ar-* ◡ — Iamb.	*dens. v-* — — Spond.	*rit. of-* ◡ — Iamb.	*fici-* ◡ — Iamb.	*nas* — Cæſ.		Iambicus trimeter catalect. ex 5. pedibus, & ſyllab.
VI.	Epodon Ode 9.	*Quando.* — — Spond.	*repoſ-* ◡ — Iamb.	*tum. Ca-* — — Spond.	*cubum. ad.* ◡ — Iamb.	*feſtas.* — — Spond.	*dapes* ◡ — Iamb.		Iambicus trimeter ſex pedum.
VII.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. Te.* — — Spond.	*Diua. po-* — ◡ ◡ Dactyl.	*tens. Cypri* — ◡◡ Dactyl.					Glyconius e tribus pedibus.
VIII.	Epodon Ode 11.	*Scribere.* — ◡ ◡ Dactyl.	*verſicu-* — ◡◡ Dactyl.	*los* — Cæſ.					Semelegus dactylicus ex duobus dactylis, & Syllaba.
IX.	Lib. primo Ode 7.	*Lauda-* — — Spond.	*bunt. ali* — ◡◡ Dactyl.	*i. cla-* — — Spond.	*rã Rhodon.* — ◡ ◡ Dactyl.	*aut. Myti-* — ◡◡ Dactyl.	*lenen* — — Spond.		Heroicus exameter e ſex pedibus.

EPODVS I.

Verſuum IX.

ACRES quid iras aggeras Rex barbare?
Impauidus contemnere nouit
Hiſpanus iuuenis Regum fera iuſſa. Quid flagellis
Nuda membra ſaucias,
Curuis & hamis lancinata carpis?
Fortis reſiſtit. Heu quid impium ſtruis?
Mens hæret: trepidat. Quibus
Dire Tyranne feris,
Te quibus exæquem Colobi ſæuiſſime monſtris?

STROPHE II.

Verſuum XII.

VAGAS ad vndas Tybridis
Lactauit altrix vberibus Lupa
Infantes geminos: pinnigero puer
Delphinis in dorſo natantis
Sæpe Dicharchæo ludens è littore viſus;
Et vulnerati pro pedis medela
Hoſpitem narrant hominis leonem:
Hunc inter atroces ferarum
Incurſus pauidum, canis
Vt blandiens, adiuit agnitum leo:
Amboſq; pubes Romuli
Obſtupuit ſibi gratulantes.

ANTISTROPHE II.

Verſuum XII.

S*EV priſca verum proferat,*
Seu fingat ætas; aſpide ſæuior
Hyrcaniſque feris mens hominis furit.
Non vrſus inſectatur vrſum:
Non perimit colubrum coluber; non tigrida tigris;
Humana virgas gens, rotas, & vncos
Intulit terris, pedibuſque mortis
Aptauit alas. *Quid Perilli*
Infandum memorem bouem?
Nec ſontibus, vel hoſtibus ſolùm minax:
Sui miniſtram gaudij
Perniciem cupit innocentum.

EPODVS II.

Verſuum IX.

TE matricida, te lues mortalium
Inceſſit tam dira cupido?
Nam facibus paſſim incenſam populatus ignis Vrbem
Te iubente, fletibus,
Clamore, luctu, cladibus, ruinis,
Complens, in atri verterat formam rogi:
Tunc lætus, fidibus canens
Diceris excidio
Auſus Troiano miſeram componere Romam.

STROPHE III.

Verſuum XII.

QVO Muſa Dirces prouehunt
Te vela? ferri per tragicos amas
Terrores? Rutilum ſydus Iberiæ,
Atlantis emergens ab vndis
Te reuocat dira toſtus LAVRENTIVS olim
In crate: formæ nec decor, nec ætas
Ferreos flectunt animos. Tyrannus
Deridet abſterſum cruorem
Cæleſtis Pueri manu.
Ludi nè vanis perferam præſtigijs?
I miles, inquit; perditus
Det meritas reus igne pœnas.

AN-

ANTISTROPHE III.
Verſuum XII.

ET ecce raptim ſtrenuus
Athleta Chriſti traditur ignibus:
Hos inter thalamus vectibus æreis
Compactus excepit iacentem.
Tres ò Iordanis Pueri, decus Iſacidarum,
Vt veſtra flammis emicat probata
Diſpari virtus celebris corona,
Quos par adegit cauſa morti
Vltro exponere pectora?
Non vos Deira militum cohortibus,
Equis, & armis obſtrepens
Terruit, aut ſonitus tubarum.

Deira à D.Hieronymo Dura, campus Babylonis, à ſeptuaginta, & Vaticana Græca Δειρὰ nominatus.

EPODVS III.
Verſuum IX.

NON vos furentis Regis atrox commouet
Aſpectus: Nos, dicitis, ò Rex;
Non aurũ, aut ſtatuas colimus: Deus Iſrael colendus:
Ille ſolus eſt Deus.
Fruſtra catenis alligas lacertos,
Et nos in ignes conÿcis: nam præpotens
Illæſos Deus eruet,
Si volet, atra licèt
Fluctuet vndanti flammarum vortice fornax.

STROPHE IV.

Verſuum XII.

NEC vana ſpes: innoxius
Vos lambit ignis, vitreus vt liquor,
Non auſus teneram lædere corporum
Cutem; ſed infrendens, voraxq́;
Fertur in adſtantes, ardenti membra vapore
Hauſturus: in vos obſequens, fauenti
Dum Deo grates canitis, furorem
(Res mira) compeſcens, aënis
Vinctos nexibus accipit,
Reddit ſolutos, vinctus ipſe, languidus,
Inermis. At Laurentium
Lethiferis petit acer armis.

ANTISTROPHE IV.

Verſuum XII.

ARCTÆ coercent compedes,
Nudumque prunis concolor æs cremat,
Iam corpus celeri corripit impetu,
Iam flamma proſerpens adurit,
Et carnem vorat, & graciles depaſcitur artus.
Immotus Heros, vt doloris expers,
Vt roſas inter, virideſq́ myrtos
Ferale tormentum virili
Spernit pectore, dum truci
Adipem liquatus igne manat: lumina
Auertit intuentium
Terribili laniena viſu.

EPODVS IV.

Verſuum IX.

A*SSATVS ille, geſtiens plenus Deo*
Solui nexu corporis, inſit
*Ore renidenti:*Fumant tibi iam Tyranne,coƐta hęc
Membra: mande, veſcere:
En Aula Cæli ſe mihi recludit.
O quam beatè moreris! Inclytus magis,
Inuictiſſime Martyrum,
Nullus obire poteſt:
Hoſtibus inſultas victor, cadis hoſtia Chriſto.

DE S. LVDOVICO
REGE GALLIARVM ODE.

SIngulis in Strophis, & Antiſtrophis huius Odæ verſus ſunt duodecim: genera verò verſuum omnino nouem: Glyconius, Iambicus trimeter, Alcaicus dactylicus, Iambicus dimeter, Sapphicus, Aſclepiadæus, Iambicus trimeter catalecticus, Adonius, Heroicus, omnes ex Horatio, vt ſchema ſubiectum docet.

I.	Ex Horatio Li. 1. Ode 3.	*Sic . Te .* — — Spond.	*Diua . po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens . Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconius ex tribus pedibus.
II.	Epodon Ode 1.	*Ibis . Li* — — Spond.	*libur-* ∪ — Iamb.	*nis . in-* — — Spond.	*ter . al-* ∪ — Iamb.	*ta . na-* ∪ — Iamb.	*uium* ∪ — Iamb.	Iambicus trimeter ſex pedum.
III.	Lib. primo Ode 9.	*Vides .* ∪ — Iamb.	*vt . alta .* ∪ — — Iamb. Cæſ.	*ſtet . niue* — ∪ ∪ Dactyl	*candidum* — ∪ ∪ Dactyl.			Alcaicus dactylicus ex quatuor pedibus, & cæſura.
IV.	Epodon Ode 2.	*Vt. priſ-* — — Spond.	*ca. gens.* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicus dimeter ex quatuor pedibus.
V.	Lib. primo Ode 2.	*Iam . ſa-* — ∪ Troch.	*tis . ter-* — — Spond.	*ræ . niuis .* — ∪ ∪ Dactyl.	*atque .* — ∪ Troch.	*diræ* — ∪ Troch. vel	— — Spond.	Sapphicus ex quinque pedibus.
VI.	Lib. primo Ode 1.	*Mæce-* — — Spond.	*nas ata-* — ∪ ∪ Dactyl.	*uis . edite .* — — ∪ ∪ Cæſ. Dact.	*Regibus .* — ∪ ∪ Dactyl.			Aſclepiadæus ex quatuor pedibus, & cæſura.
VII.	Lib. primo Ode 9.	*Sorac-* — — Spond.	*te. nec. iam* ∪ — — Iamb. Cæſ.	*ſuſtine-* — ∪ ∪ Dactyl.	*ant . onus* — ∪ ∪ Dactyl.			Alcaicus dactylicus ex pedibus 4. & cæſura.
VIII.	Lib. primo Ode 3.	*Sic . te .* — — Spond.	*Diua . po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens . Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconius ex tribus pedibus.
IX.	Lib. primo Ode 3.	*Nil . mor-* — — Spond.	*talibus .* — ∪ ∪ Dactyl.	*arduum, eſt* — ∪ ∪ Dactyl.				Idem genus.
X.	Lib. primo Ode 4.	*Trahunt .* ∪ — Iamb.	*que . ſic-* ∪ — Iamb.	*cas . ma-* — — Spond.	*chinæ .* ∪ — Iamb.	*cari-* ∪ — Iamb.	*nas* — Cæſ.	Iambicus trim. catalecticus ex quinque pedibus, & ſyllaba.
XI.	Lib. primo Ode 2.	*Terruit .* — ∪ ∪ Dactyl.	*Vrbem .* — ∪ Troch.					Adonius ex duobus pedibus.
XII.	Lib. primo Ode 7.	*Lauda-* — — Spond.	*bunt . ali* — ∪ ∪ Dactyl.	*i . cla-* — — Spond.	*ram Rhodon.* — ∪ ∪ Dactyl.	*aut . Myti-* — ∪ ∪ Dactyl.	*lenen* — — Spond.	Heroicus exameter.

STROPHE I.

Verſuum XII.

OBIECTV gemini maris,
Illinc Pyrenes, arduis hinc Alpium
Præcincta muris: ingenio ſoli,
Fluxuque diues fluminum:
Fortium turmis equitum verenda,
Heroum genitrix Gallia, bellicis
Fœcunda palmis: inclyta Regibus,
Quos longa ſerie dedit
Priſci Capetij genus:
Vt inter omnes thure LVDOVICVS
Cultus, & aris
Cæleſti radiat vinctus diademate frontem!

ANTISTROPHE I.

Verſuum XII.

QVAS dudum mea parturit
Mens fœta laudes, Regis educ optimi
In lucis oras, Aonij lyra
Sonora cantus obſtetrix.
An pia primum ſtudium Parentis
Formandi puerum moribus integris,
Doctaque raris Palladis artibus;
An celſæ decus indolis
Dircæis celebrem modis?
En blanda prodis Comitas, Pudorque,
Lenis & oris
Maieſtas, ac forma, decens & Gratia linguæ.

EPO-

Eiuſdem Odæ omnes Epodi conſtant ex verſibus nouem, & ex octo generibus verſuum: Iambico dimetro, Glyconio, Sapphico, Iambico trimetro, Iambico dimetro hypercatalectico, Pherecratio, Aſclepiadæo, Iambico trimetro catalectico, quibus vſus eſt Horatius, vt in ſchemate ſubiecto patet.

I.	Ex Horatio Epod. Ode 2.	*Vt. priſ-* — — Spond.	*ca. gens.* ∪ — Iamb.	*morta-* — — Spond.	*lium* ∪ — Iamb.			Iambicus dimeter ex quatuor pedibus.
II.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. te.* — — Spond.	*Diua. po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens. Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconius ex tribus pedibus.
III.	Lib. primo Ode 2.	*Iam. ſa-* — ∪ Troch.	*tis. ter-* — — Spond.	*ris. niuis.* — ∪ ∪ Dactyl.	*atque.* — ∪ Troch.	*dira* — ∪ Troch. vel	— — Spond.	Sapphicus ex quinque pedibus.
IV.	Epodon Ode 9.	*Quando.* — — Spond.	*repoſ-* ∪ — Iamb.	*tum. ca-* — — Spond.	*cubum. ad* ∪ — Iamb.	*feſtas.* — — Spond.	*dapes.* ∪ — Iamb.	Iambicus trimeter ſex pedum.
V.	Lib. primo Ode 9.	*Syluæ.* — — Spond.	*labo-* ∪ — Iamb.	*rantes.* — — Spond.	*gelu-* ∪ — Iamb.	*que* — Cæſ.		Iambicus dimeter hypercatalecticus ex 4. pedibus, & cæſ.
VI.	Lib. primo Ode 5.	*Nigris.* — — Spond.	*æquora.* — ∪ ∪ Dactyl.	*ventis* — — Spond.				Pherecratius trium pedum.
VII.	Lib. primo Ode 1.	*Mæce-* — — Spond.	*nas. ata-* — ∪ ∪ Dactyl.	*uis.* — Cæſ.	*edite.* — ∪ ∪ Dactyl.	*Regibus.* — ∪ ∪ Dactyl.		Aſclepiadæus ex quatuor pedibus, & cæſura.
VIII.	Lib. primo Ode 3.	*Sic. te.* — — Spond.	*Diua. po-* — ∪ ∪ Dactyl.	*tens. Cypri* — ∪ ∪ Dactyl.				Glyconius ex tribus pedibus.
IX.	Lib. primo Ode 4.	*Nec. præ-* — — Spond.	*ta. ca-* ∪ — Iamb.	*nis. al-* — — Spond.	*bicant.* ∪ — Iamb.	*prui-* ∪ — Iamb.	*nis* — Cæſ.	Iambicus trim. catalecticus ex quinque pedibus, & ſyllaba.

EPODVS I.

Verſuum IX.

NON me tamen moremini:
Plectrum prouocat aureum
Pulchrius fulgens teneris ab annis
Laus parta bello. Iactet Alcidæ manu
Infantis enectos colubros
Ficto Græcia plauſu.
Ut primum nituit murice regio
Heros gloria Sequanæ,
Impuber armis comprimit rebelles.

STROPHE II.

Verſuum XII.

AST ætas vbi firmior
Acceſſit, omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota iungit pectora, dotibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat: ſtudioſus æqui
Regum delicias ſpernit, & otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit,
Prauoſq; pœnæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, non enſe, aut militis haſtis.

ANTISTROPHE II.
Verſuum XII.

HORTI Pulchra per areas
Hinc inde transfert candidum virgo pedem,
Quà mira florum pompa recluditur:
Seu quos dedit Britannia,
Vel Tagi potor, Sporadumue cultor,
Mox voluens oculos, vndique conſpicit,
Et hæret anceps, quem ſibi deligat:
Illic floret amaracus,
Hic albet breue lilium,
Floreſque pandunt aduenæ decòrem:
Denique certa
Omnibus illa roſæ Pæſtanum prætulit oſtrum.

EPODVS II.

Verſuum IX.

FLOREM tibi quem ſeligam?
Te ſceptro potior fides,
Alme Rex, clarat Themis, & ſorores,
Pietaſque maius adferunt tibi iubar,
Gemmata quam veſtis, vel aurum:
At quæ clarior aſtri
Naſcentis radijs fulſit, & in tuo
Fulget corde, rapit ſacra
Me luce flagrans Caritas canentem.

STROPHE III.

Verſuum XII.

HÆC te nectare Cælitum
Paſcit, Deique nunc beat præſentia:
Hæc vna quondam, dum tuus induit
Caduca membra ſpiritus;
Se tibi iunxit comitem, viæq́;
Index, te Superùm cœtibus addidit.
Hinc liberali ſpargis opes manu,
Siue Altaria conſtruis,
Seu ſacras reficis Domos,
Ades vel ægris, vel iuuas egenos:
Hac duce bellum
Suſcipis, & mortis iaculis caput obijcis vltro.

ANTISTROPHE III.


Verſuum XII.

VRBIS nam Solymæ vicem
Dolens, vt impiam opprimas tyrannidem,
Pacata Regni linquis, & horridis
Armis petens Peluſium,
Traÿcis textis trabibus phalanges,
Quà ſeptemgemino cærula flumine
Nilus colorat: mœnia vix quatis
Arcis, cùm ſubitus fores
Recludit pauor hoſtium;
Mox victor agmen militum patentes
Ducis in agros,
Hoſtileſq; acies geminata clade trucidas.

EPODVS III.

Verſuum IX.

SPES ſæpe quo propinquior
Arridet, celeri ſuga
Exitus cœptis adimit ſecundos.
Inuadit eheu te lues, & Celticas
Infeſta vis morbi, fameſque
Vexat dira cohortes:
Illinc flumen aquis, hoſticus hinc furor
Denſo circuit agmine:
Pugnatur; atrox fœdat arua cædes.



STROPHE IV.

Verſuum XII.

VICTVM gloria non minor
Te ſequitur, Heros magne, quàm cũ vinceres.
Conſtans recuſas Martis ab alea
Lembo per amnem ſubtrahi.
Vna nos omnes, eademque pugnæ
Sors, inquis, maneat: Vos ego deſeram?
Regemque veſtrum me fuga polluet?
Captiuo tibi quas minas,
Quæue opprobria barbarus
Infert Tyrannus? ſæua quot tuorum
Funera cernis?
Tu tamen immotus Chriſto ſpem ponis in vno.

ANTISTROPHE IV.
Verſuum XII.

N*VTANTES animos fide*
Firmas, iacentes erigis. Quid, ais, cadit
Spes veſtra? curas pellite lugubres:
Probat Deus quos diligit:
Hos & educit memor e periclis.
Olim quæ populus pertulit Iſrael?
Hæc ipſa tellus teſtis: ad inuium
Rubri dum pelagi fretum
Vrgebat Pharao ferox
Equis, & armis; obſequens repentè
Scinditur æquor,
Erectiſque vagæ lapideſcunt mœnibus vndæ.

EPODVS IV.

Verſuum IX.

E LECTA ſiccis tranſilit
Gens plantis: mare ſæuiens
Defluit rurſus: rapit inſecutum
Ducem procellis, & quadrigas obruit.
Sic fatus, haud expes tueris
Flexo poplite Cælum.
Lux ò Chriſtiadum maxima Principum,
Heros inclyte, qui tui
Æquent honorem carceris, triumphi?

STROPHE V.

Verſuum XII.

DAT dirus tibi Mempheos
Pœnas Tyrannus. En ſuorum concidit
Ferro peremptus, ſertaque laurea
Mutat cupreſſi frondibus:
Tuque dimiſſus, redimenſq; captos,
Oppreſſoſque graui ſeruitij iugo,
Appellis Aces littoribus ratem.
Hìc te Chriſticolæ tenent,
Vt ſis certa cadentium
Tutela rerum: haud te trahunt paterni
Commoda Regni,
Nec Genitricis amor, Procerum nec vota, preceſq;.

ANTISTROPHE V.

Verſuum XII.

NON eſt, quæ premat acrior
Te cura, quam Chriſti ſuperbos frangere
Hoſtes, & almo Nomine, gentium
Delere cultus impios.
Nec pium belli ſtudium remittis,
Donec te Libye ſanguine diffluens
Palma potitum, corporis exui
Arctis nexibus adſpicit.
Nunc ò verticis Incola
Cæleſtis, audi quas preces decorum
Pallida vultum
Relligio mœrens lacrymis tibi fundit obortis.

EPODVS V.

Verſuum IX.

INVICTE Rex, en Gallia
Iuncta eſt rurſus Iberia
Sanguinis vinclis: animos, & arma
Fac iungat arctum fœdus. Heu quot conficit
Europa ſe diſcors in oris?
Squalet Punica tellus:
Te deuincta vocat Græcia compede,
Iordanes vocat, & ſacrum
Chriſti Sepulchrum vindicem moratur.

DE SANCTA ELISABETHA LVSITANIÆ REGINA HYMNVS

SEv ode tricolos triſtrophos ex Epodis Horatianis tria verſuum genera, totidemq; verſus continens in ſingulis Strophis: Iambicum ſcilicet trimetrum acatalecticum & communem, Semelegum dactylicum, & Iambicum dimetrum.

Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.
◡ —	◡ —	◡ —	◡ —	◡ —	◡ —

Dactyl.	Dactyl.	Cæſ.
— ◡ ◡	— ◡ ◡	—

Spond	Iamb.	Spond.	Iamb.
— —	◡ —	— —	◡ —

DOMARE cordis impetus Eliſabeth
Fortis, inopſq; Deo
Seruire, Regno prætulit.

En fulgidis recepta cæli ſedibus,
Sydereæq́; domus
Ditata ſanctis gaudijs
Nunc regnat inter Cælites beatior,
Et premit aſtra, docens
Quæ vera ſint Regni bona.
Patri poteſtas, Filioq́; gloria,
Perpetuumq́; decus
Tibi ſit alme Spiritus.

De Eadem Hymnus.

Iambici puri omnes Catulliani Senarij.

Opes.	*decuſ*	*q; re*	*gium.*	*reli-*	*queras*
Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.
⏑ —	⏑ —	⏑ —	⏑ —	⏑ —	⏑ —
Phaſe.	*lus. il-*	*le, quem.*	*vide-*	*tis. Hoſ-*	*pites*

OPES, decuſq́; regium reliqueras
Eliſabeth, Dei dicata Numini;
Recepta nunc bearis inter Angelos:
Libens ab hoſtium tuere nos dolis.
Præi, viamq́; dux ſalutis indica:
Sequemur. O ſit vna mens fidelium;
Odor bonus ſit omnis actio, tuis
Id innuit roſis operta Caritas.
Beata Caritas, in arce Syderum
Potens locare nos per omne ſeculum.
Patriq́; Filioq́; ſumma gloria,
Tibiq́; laus perennis alme Spiritus.

POENITENS.

ODe ex Epodis Horatianis dicolos diſtrophos, ideſt ex duplici genere verſuum, trimetris Iambicis alternatim poſitis dimetriſque.

Iamb.	Iamb.	Spond.	Iamb.	Spond.	Iamb.
∪ —	∪ —	— —	∪ —	— —	∪ —

Spond.	Iamb.	Spond.	Iamb.
— —	∪ —	— —	∪ —

SEPVLTVS alta criminum caligine,
Sæuiſq; vinctus nexibus,
Non ſub latebris lapidis alter Lazarus
Claudor, ſed hac circumferor
Defunctus infauſta ſub vrna corporis.
Iam lingua nullos ederet
Sonos: carerent aridi motu pedes,
Triſteſq; pallerent genæ:
Humi iacerem, nec viderent lumina
Nitentis aëris iubar.
Sed ne caducum vita corpus deſerat,
Vicem perempti ſpiritus
Chriſti benigna ſupplet indulgentia,
Lutoq; reddit illito

Oculis

Oculis ſuam lucem. Quid ah, quid intuor
Miſer? tenent me compedes,
Laterumque verſant ſordidum manus opus:
Et quæ fouet me blandiens
Placido ſinu Voluptas vera Dalila
Stringit minacem forſicem.
Formidoloſis in cauernis ſaltuum
Cubile tellus exhibet,
Solumque glandes ſe mihi dant pabulum:
Famis voratus dentibus
Perire cogor inter immundas ſues.
Supplex reuertar ad Patrem:
Culpam fatebor, & profuſis lacrymis,
Vt cæcus ille vitreis
Siloes aquis ſe diluit, cor diluam,
Quod noxa fœdat ſordibus.
Sed heu catena nexibus mihi pedes
Arctans abire me vetat:
Hæc dira vincla tu Deus Clementiæ
Solus potes diſſoluere,

Meamque ſolus tu potens Ægyptio
Leuare ceruicem iugo.
Non ego mihi Moſen, tuam ſed gratiam
Ducem regreſſus flagito:
Huius per atras noctis vmbras luceat
Ignis, viamq; dirigat,
Tutamque plantis virga pandat orbitam
Rubri per vndas æquoris,
Et inſequentium cohortes hoſtium,
Equos, & axes obruat.
Sic ipſe liberum metu ſequens iter
Vtinam ſerenum conſpicer
Parentis aſpectum: ad pedes nam procidam,
Gemenſque coram proloquar:
Reuertor ad te pœnitens; per inuias
Abduxit errantem vias
Me culpa: peccaui talentis traditis
Abuſus: ad te pœnitens
Reuertor. Ah te, qui tui ſunt muneris,
Hic fletus, hic meus dolor

Placent

Placent: & ò benigne da Pater mihi,
Tuas vt AEdes incolam,
Tibique iunctus Caritatis annulo
Non ampliùs te deſeram.
Hoc vna, quæ colore ſplendet cærulo,
Præſtare veſtis eſt potis:
Hanc nullus vſus, nulla deterit dies,
Fur nullus aufert: hanc mihi
Si largiare, corde dicam geſtiens,
Coruſca ſordet Purpura.

CIRCAEI POCVLI

ALEXIPHARMACVM.

HEndecaſyllabi Catulliani ex quinque pedibus conſtantes, qui præter Pyrrichium omnes diſsyllabos pedes in primam ſedem admittunt, in ſecundam ſemper Dactylum, tres in reliquas Trochæos.

Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪
Troch. — ∪	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪
Iamb. ∪ —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch	Troch. — ∪	Troch. — ∪

INSERTAE vario nitore gemmæ
Cum crater micat aureus, rubetq;
Stillans nectareo liquore Bacchi,
Quem de purpureis premunt racemis
Præla Celtica, vel ferax Falerni
Promit vinea, dum furens adurit
Sirius canis arua, ſi niuali
Alget frigore, quid petat, vel optet
Qui ſitit, ſibi gratius bibenti?
Sorbens ſi tamen, inſcius venenum,
Quod latet, ſimul hauſerit; quis illum

Dixe-

Dixerit propria perire culpa?
Talis blanda libidinem puella
Excitat roſeis genis, & ore,
Quo nil pulchrius Ida vidit vnquam:
Quærunt hanc iuuenes, & intuentur
Intentis oculis, amant, & omni
Huic grati ſtudio placere curant;
Nouerint licet hinc luem creari
Vino lethifero magis nocentem.
O noſtram male prouidam iuuentam
Sciens exitium ſubit, volenſque.
Quæ vis effera feruet in medullis?
Hæc, quicquid rationis auget vſum
Sugens abripit, implicatq; curis
Impuris animum, necatque ſenſus;
Quos dictat bona mens. Comæ decore
Sic arbor ſpoliatur ob tenaces
Amplexus hederæ, peritq; languens
Vitali prope deſtituta ſucco.
Clades hinc fluit omnis, omne manat

Genus flagitij. Paris Lacænæ
Captus Hoſpitæ amore, fas fidemq;
Lædens, qua prius ipſe ſe; paternum
Hac regnum face perdidit. Quis ignem
Neſcit è gelidis aquis obortum,
Narciſſi miſeram vicem? Puellas
Quid Pandionias, ſceluſq; Terei?
Seu te Pyramè, flebilemq; Thisben,
Vel Phædræ memorem truces amores,
Aut potus magici dolos? Atrocem
Non Circe pateram: ſuis Libido
Magis ſæua, ſequacibus miniſtrat.
Permeſſi meritò chorus, ferarum
Sumptis moribus, aſſeclas Vlyſſis
Indutos ſpecie canit ferina.
Satis propudij malum, & furentis
Infortunia peſtis e profana,
Ac ſacra Hiſtoria patent: loquare
Omnium vice tu reuincte Sampſon
Fraude fœminea. Fero medelam

Morbo quærimus: hanc opus parare
Doloſi madidis liquoris hauſtu:
Hac auertere Iudicem ſupremum;
Ne ſui ſuper impios ab alto
Effundat calicis ſeuerus iram.
Nos Ioſeph fugiens docet tueri
Immunem vitij nota Pudorem.
Non placet fuga; te monet fugare
Torris ignibus innocens Aquinas.
Fuga, vel fuge. *Non vbiq; ſemper*
Eſt fugæ locus, inquis, & fugantem
Hoſtit illecebris nimis voluptas.
Blandæ gratia te, iubarq; formæ
Si potentius enſe, vel ſagittis
Comminus petet, eminuſuè; mentem
His tamquam Clypeo tuere dictis:
Permanet ſcelus, auolat voluptas:
Vindex ſubſequitur dolor perennis.

VEXILLVM CARITATIS AD NICOLAVM BARBERINVM GERMANVM FRATREM.

IN ILLA VERBA IOB.

Militia eſt Vita Hominis ſuper Terram.


Hendecaſyllabi Catulliani, qui ſupra.

QVOD dixi ſemel, hæreat repoſtum
Amantiſſime frater in medullis.
Duros militiæ refert labores
Infelix hominum, fugaxq; Vita.
Nam dum pondere corporis grauatur
Chriſti cultor, vt hoſticis ab armis
Se miles tueatur eſt neceſſe:
Iuges excubias agens, famemq;
Et ſitim toleret, doloſq; vitet,
Quos ſub illecebris procax voluptas

Abdit

Abdit nequitiæ graues veneno:
Frangat horribilem furentis Iræ
Impetum, Ambitionis & tumultus,
Et his quæ ducibus mouentur arma:
Eludatq; cuniculos latentes,
Quos prauus fodit vſus, & Cupido,
Pertinaciter hinc, & hinc petentes
Munitam ratione Mentis Arcem;
Pro qua Sobrietaſq; Caſtitaſq;,
Ac recti ſtudium, pijq; mores
Ductu præſidioq; Caritatis
Si pugnent, inimica vis fatiſcet;
Hac ne decipiamur, eſt cauendum.
Nullus eſt magis acer hoſtis hoſti,
Quam ſit quiſque ſibi, nocentiorque.
Caritas precor alma, pelle cladem:
Noſtro in pectore fixa nos tuere:
Te ſuperſtite nil poteſt obeſſe:
Nihil nos ſine te poteſt iuuare.
Tu nobis data cælitus, labore

Plurimo retineris ,atque cura.
Hoc frater meditemur, hoc agamus.
Non, qui terque, quaterque, millieſq;
Improbis animi obſtitit rebellis
Victor motibus, obtinet beata
Inter agmina Cælitum coronam:
Si cedat ſemel, & tenebricoſum
Sic victus rapiatur ad ſepulchrum.
Sed fortis, vigiliq; mente conſtans,
Qui viuens, morienſq; non reliquit
Diuinæ ſacra Signa Caritatis.



VANITATIS FVGA AETERNITATIS AMOR.

IAmbici puri Catulliani, trimetri acatalectici, vt ſupra de S.Eliſabetha. *Opes, decuſq; regium &c.*

AMICA veris aura frigus äeris
Amabili tepore temperans, humi
Feracis vberem ſinum recluſerat:
Fugarat atra Sol calore nubila.
Erant odora nuper arua floribus:
Recens virebat herba; cantus alitum
Sonorus obſtrepebat inter arbores:
Fluens nitebat vnda pura fluminum.
Obambulabat hinc & inde luſitans
Vagis recurſibus genus natantium.
Sed ecce feruidæ furor Caniculæ
Agros adurit, æſtuanſq; vitreo
Aquæ dolet liquore riuus exui:
Amat latêre piſcis in receſſibus:
Silent aues, & aura muta deficit.
Hyems iniqua iam recurrit; algidæ

Niues

Niues ſuperna montium tegunt iuga:
Rigata mœret imbre terra: defluit
Fremens in æquor amnis vnda decolor,
Vigorq́ꝫ lætus arborum ſtatim perit.
Vt hæc caduca! luxus Orbis ocius,
Opum doloſa pompa, forma labilis,
Placenſq́ꝫ inanium figura præterit.
Poli ſuperna conſpicemur Atria,
Vel vmbra noctis abſit, aut receſſerit
Dies, vt aſtra luce ſemper aurea,
Iubarque Apollinis nitent! nec officit
Globis micantibus, vel æſtus ingruens,
Vel imbribus, geluue bruma ſæuiens.
Quid inter hæc, futura non recogitas,
Dies videre diligens bonos, mea
Supina mens, tuæ ſalutis immemor?
Solet nocere ſæpius, quod allicit.
Parens ſit Eua teſtis. Hiſce iugiter
Monemur: omne, quod fugax, relinquere;
Quod eſt perenne gaudium, requirere.

VERA SAPIENTIA

MORTIS MEDITATIO.

HEndecaſyllabi Catulliani, ex quinque pedibus, quorum primus Spondæus, & Trochæus eſt, alias etiã Iambus: ſecundus quiſque Dactylus: tertius, quartus, & quintus Trochæi.

MVNDI Machina fertur ad ſupremum
Occaſum, rapido rotata gyro
Horarum: grauida dies, & anni
Aluo perniciem gerunt futuram.
Imminet Senibus propinqua lethi
Formidabilis hora: polliceri
Non poteſt ſibi craſtinum Iuuentus.
Mors enim pede præpes eſt vbique;
Et numquam ſatiata paſcit omnem
Ætatem. Pecudes ſolent in agris
Sic depaſcere floſculos, et herbas:
Sic vorat populata flamma meſſem.
Serio vigilare nos oportet.

Vt

Vt deſiderium tenax fugacis
Vitæ faſcinat! Vt trahit voluptas!
Vt cor abripit aura blanda plauſus,
Implicat laqueis opum cupido,
Fallit Ambitio, tenetq; luxus!
Stulti quid ſequimur Caduca? fulgens
Cæli Regia nos vocat; ſed armis
Obniti Pietatis eſt neceſſe
Contra nequitiæ dolos. Profuſi
Victus illecebræ valete: luſus,
Plauſus, pompa faceſſat: hinc ſuperbum
Senſuum vigor impetum remittit,
Hinc vires animus ſuas adauget:
Non ſomno, dapibuſq; prægrauetur:
Sumat quod ſibi ſat, licetque, Corpus:
Sic non lædit vt hoſtis, impetitque,
Sed pugnat ſimul, adiuuatq; mentem.
Hoſpites ſumus hoc in Orbe, non hìc
Nobis Patria permanens: Inani
Lætamur ſpecie boni. *Peribunt*

Tam-

Tamquam Somnia cogitationes,
Quæ nos immemores perennis Æui
Luce orbant rationis. Inſtitutis
Mens veræ Sapientiæ dicata
Leſſum cogitet, execrata luxum:
Miles non referet decus triumphi
Pugnam non meditatus imminentem.



PERTVRBATVS
ANIMI PRAVI MOTVS
PLACIDA RECTI QVIES.

TRochaicus heptameter cum ſemipede: Ideſt e ſeptem pedibus conſtans, & ſyllaba. Pedum alij Trochæi, & quidem principes, & neceſſario ſemper in impari; alij Spondæi, & pari ſemper in ſede collocantur: quæ collocatio contraria Iambicis eſt, vti Trochæus eſt Iambo contrarius. Cæterum vt Iambus in Iambico, ita Trochæus in Trochaico ſedes omnes occupare poteſt.

Libe-	*re. va-*	*gans. per.*	*agros .*	*quo . pa-*	*uore .*	*concu-*	*tit*
— ∪	— ∪	— ∪	— —	— ∪	— ∪	— ∪	—
Troch	Troch.	Troch.	Spond.	Troch.	Troch.	Troch.	Cæſ.
Cæſar .	*ecce .*	*nunc. tri*	*umphat .*	*qui . ſu-*	*begit .*	*Galli-*	*am*
— ∪	— ∪	— ∪	— —	— ∪	— —	— ∪	—
Troch.	Troch.	Troch	Spond.	Troch	Spond	Troch	Cæſ.

LIBERE vagans per agros quo pauore concutit
Vrbium ciues minaci fronte cladem præferens
Mars iniqua cum cruentus cæde cædes aggerat!
Vrit ædes, culta vaſtat arua, delet oppida,
Triſtibus complet querelis cuncta, luctu, ſanguine.
Attamen procaciter cum circuit præcordia
Blandiens nobis cupido maius infert prælium.

Qualis

Qualis oras per patentes cinctus Auſter turbine
Fertur atrox, & comantes imbre fruges deijcit,
Vinitoris & labores ſternit ictu grandinis:
Moxq; frendens acriori vi reuellit arbores.
Talis ingruit, tumeſcit, infremit Superbia.
Vidit ardens culmen Ætnæ ſæpius Trinacria
Igneos globos vomentis teſqua flammis vrere:
Et per ima dorſa vallis ſaltuoſa ſerpere
Perq; campos, perq; pagos pertinax incendium.
Igne ſæuior furenti feruet ira percitus.
Fluctuum ſe ſalſa magno Regna tollant impetu:
Carbaſis fractis fatiſcat quaſſa puppis horrido
Turgidi maris tumultu; voce clament flebili,
Innocentq; ſupplicantes dia Cæli lumina
Nauitæ mergi pauentes æſtuanti vortice.
Cordis impij procellis nulla par eſt inquies:
Senſuum motus rebelles vna virtus comprimit,
Si potenter flans ab alto Sanctus adſit Spiritus
Flamen almum, te beatam largiente gratiam
Pura mens dono quietis læta ſemper exilit:

CIRCAEI POCVLI
ALEXIPHARMACVM.

HEndecaſyllabi Catulliani ex quinque pedibus conſtantes, qui præter Pyrrichium omnes diſsyllabos pedes in primam ſedem admittunt, in ſecundam ſemper Dactylum, tres in reliquas Trochæos.

Spond. — —	Dactyl. — ◡ ◡	Troch. — ◡	Troch. — ◡	Troch. — ◡
Troch. — ◡	Dactyl. — ◡ ◡	Troch. — ◡	Troch. — ◡	Troch. — ◡
Iamb. ◡ —	Dactyl. — ◡ ◡	Troch. — ◡	Troch. — ◡	Troch. — ◡

INSERTAE vario nitore gemmæ
Cum crater micat aureus, rubetq;
Stillans nectareo liquore Bacchi,
Quem de purpureis premunt racemis
Prœla Celtica, vel ferax Falerni
Promit vinea, dum furens adurit
Sirius canis arua, ſi niuali
Alget frigore, quid petat, vel optet
Qui ſitit, ſibi gratius bibenti?
Sorbens ſi tamen, inſcius venenum,
Quod latet, ſimul hauſerit; quis illum

Dixe-

Dixerit propria perire culpa?
Talis blanda libidinem puella
Excitat roſeis genis, & ore,
Quo nil pulchrius Ida vidit vnquam:
Quærunt hanc iuuenes, & intuentur
Intentis oculis, amant, & omni
Huic grati ſtudio placere curant;
Nouerint licet hinc luem creari
Vino lethifero magis nocentem.
O noſtram male prouidam iuuentam
Sciens exitium ſubit, volenſque.
Quæ vis effera feruet in medullis?
Hæc, quicquid rationis auget vſum
Sugens abripit, implicatq; curis
Impuris animum, necatque ſenſus;
Quos dictat bona mens. Comæ decore
Sic arbor ſpoliatur ob tenaces
Amplexus hederæ, peritq; languens
Vitali prope deſtituta ſucco.
Clades hinc fluit omnis, omne manat

Genus flagitij. Paris Lacænæ
Captus Hoſpitæ amore, fas fidemq;
Lædens, qua prius ipſe ſe; paternum
Hac regnum face perdidit. Quis ignem
Neſcit è gelidis aquis obortum,
Narciſſi miſeram vicem? Puellas
Quid Pandionias, ſceluſq; Terei?
Seu te Pyramè, flebilemq; Thisben,
Vel Phædræ memorem truces amores,
Aut potus magici dolos? Atrocem
Non Circe pateram: ſuis Libido
Magis ſæua, ſequacibus miniſtrat.
Permeſſi meritò chorus, ferarum
Sumptis moribus, aſſeclas Vlyſſis
Indutos ſpecie canit ferina.
Satis propudij malum, & furentis
Infortunia peſtis e profana,
Ac ſacra Hiſtoria patent: loquare
Omnium vice tu reuinćte Sampſon
Fraude fœminea. Fero medelam

Morbo

Morbo quærimus: hanc opus parare
Doloſi madidis liquoris hauſtu:
Hac auertere Iudicem ſupremum;
Ne ſui ſuper impios ab alto
Effundat calicis ſeuerus iram.
Nos Ioſeph fugiens docet tueri
Immunem vitij nota Pudorem.
Non placet fuga; te monet fugare
Torris ignibus innocens Aquinas.
Fuga, vel fuge. *Non vbiq; ſemper*
Eſt fugæ locus, inquis, & fugantem
Hoſtit illecebris nimis voluptas.
Blandæ gratia te, iubarq; formæ
Si potentius enſe, vel ſagittis
Comminus petet, eminuſuè; mentem
His tamquam Clypeo tuere dictis:
Permanet ſcelus, auolat voluptas:
Vindex ſubſequitur dolor perennis.

VEXILLVM CARITATIS AD NICOLAVM BARBERINVM GERMANVM FRATREM.

IN ILLA VERBA IOB.

Militia eſt Vita Hominis ſuper Terram.


Hendecaſyllabi Catulliani, qui ſupra.

QVOD dixi ſemel, hæreat repoſtum
Amantiſſime frater in medullis.
Duros militiæ refert labores
Infelix hominum, fugaxq; Vita.
Nam dum pondere corporis grauatur
Chriſti cultor, vt hoſticis ab armis
Se miles tueatur eſt neceſſe:
Iuges excubias agens, famemq́;
Et ſitim toleret, doloſq; vitet,
Quos ſub illecebris procax voluptas

Abdit

Abdit nequitiæ graues veneno:
Frangat horribilem furentis Iræ
Impetum, Ambitionis & tumultus,
Et his quæ ducibus mouentur arma:
Eludatq́; cuniculos latentes,
Quos prauus fodit vſus, & Cupido,
Pertinaciter hinc, & hinc petentes
Munitam ratione Mentis Arcem;
Pro qua Sobrietaſq; Caſtitaſq;,
Ac recti ſtudium, pijq; mores
Ductu præſidioq; Caritatis
Si pugnent, inimica vis fatiſcet;
Hac ne decipiamur, eſt cauendum.
Nullus eſt magis acer hoſtis hoſti,
Quam ſit quiſque ſibi, nocentiorque.
Caritas precor alma, pelle cladem:
Noſtro in pectore fixa nos tuere:
Te ſuperſtite nil poteſt obeſſe:
Nihil nos ſine te poteſt iuuare.
Tu nobis data cælitus, labore

Plurimo retineris, atque cura.
Hoc frater meditemur, hoc agamus.
Non, qui terque, quaterque, millieſq;
Improbis animi obſtitit rebellis
Victor motibus, obtinet beata
Inter agmina Cælitum coronam:
Si cedat ſemel, & tenebricoſum
Sic victus rapiatur ad ſepulchrum.
Sed fortis, vigiliq; mente conſtans,
Qui viuens, morienſq; non reliquit
Diuinæ ſacra Signa Caritatis.



VANITATIS FVGA AETERNITATIS AMOR.

IAmbici puri Catulliani, trimetri acatalectici, vt ſupra de S.Eliſabetha. *Opes, decuſq; regium &c.*

AMICA veris aura frigus äeris
Amabili tepore temperans, humi
Feracis vberem ſinum recluſerat:
Fugarat atra Sol calore nubila.
Erant odora nuper arua floribus:
Recens virebat herba; cantus alitum
Sonorus obſtrepebat inter arbores:
Fluens nitebat vnda pura fluminum.
Obambulabat hinc & inde luſitans
Vagis recurſibus genus natantium.
Sed ecce feruidæ furor Caniculæ
Agros adurit, æſtuanſq; vitreo
Aquæ dolet liquore riuus exui:
Amat latêre piſcis in receſſibus:
Silent aues, & aura muta deficit.
Hyems iniqua iam recurrit; algidæ

Niues

Niues ſuperna montium tegunt iuga:
Rigata mœret imbre terra: defluit
Fremens in æquor amnis vnda decolor,
Vigorq́ʒ lætus arborum ſtatim perit.
Vt hæc caduca! luxus Orbis ocius,
Opum doloſa pompa, forma labilis,
Placenſq́ʒ inanium figura præterit.
Poli ſuperna conſpicemur Atria,
Vel vmbra noctis abſit, aut receſſerit
Dies, vt aſtra luce ſemper aurea,
Iubarque Apollinis nitent! nec officit
Globis micantibus, vel æſtus ingruens,
Vel imbribus, geluue bruma ſæuiens.
Quid inter hæc, futura non recogitas,
Dies videre diligens bonos, mea
Supina mens, tuæ ſalutis immemor?
Solet nocere ſæpius, quod allicit.
Parens ſit Eua teſtis. Hiſce iugiter
Monemur: omne, quod fugax, relinquere;
Quod eſt perenne gaudium, requirere.

VERA SAPIENTIA
MORTIS MEDITATIO.

HEndecaſyllabi Catulliani, ex quinque pedibus, quorum primus Spondæus, & Trochæus eſt, alias etiã Iambus: ſecundus quiſque Dactylus: tertius, quartus, & quintus Trochæi.


MVNDI Machina fertur ad ſupremum
Occaſum, rapido rotata gyro
Horarum: grauida dies, & anni
Aluo perniciem gerunt futuram.
Imminet Senibus propinqua lethi
Formidabilis hora: polliceri
Non poteſt ſibi craſtinum Iuuentus.
Mors enim pede præpes eſt vbique;
Et numquam ſatiata paſcit omnem
Ætatem. Pecudes ſolent in agris
Sic depaſcere floſculos, et herbas:
Sic vorat populata flamma meſſem.
Serio vigilare nos oportet.

Vt

Vt deſiderium tenax fugacis
Vitæ faſcinat! Vt trahit voluptas!
Vt cor abripit aura blanda plauſus,
Implicat laqueis opum cupido,
Fallit Ambitio, tenetq; luxus!
Stulti quid ſequimur Caduca? fulgens
Cœli Regia nos vocat; ſed armis
Obniti Pietatis eſt neceſſe
Contra nequitiæ dolos. Profuſi
Victus illecebræ valete: luſus,
Plauſus, pompa faceſſat: hinc ſuperbum
Senſuum vigor impetum remittit,
Hinc vires animus ſuas adauget:
Non ſomno, dapibuſq; prægrauetur:
Sumat quod ſibi ſat, licetque, Corpus:
Sic non lædit vt hoſtis, impetitque,
Sed pugnat ſimul, adiuuatq; mentem.
Hoſpites ſumus hoc in Orbe, non hìc
Nobis Patria permanens: Inani
Lætamur ſpecie boni. *Peribunt*

Tam-

Tamquam Somnia cogitationes,
Quæ nos immemores perennis Æui
Luce orbant rationis. Inſtitutis
Mens veræ Sapientiæ dicata
Leſſum cogitet, execrata luxum:
Miles non referet decus triumphi
Pugnam non meditatus imminentem.



Qualis oras per patentes cinctus Auſter turbine
Fertur atrox, & comantes imbre fruges deijcit,
Vinitoris & labores ſternit ictu grandinis:
Moxq; frendens acriori vi reuellit arbores.
Talis ingruit, tumeſcit, infremit Superbia.
Vidit ardens culmen Ætnæ ſæpius Trinacria
Igneos globos vomentis teſqua flammis vrere:
Et per ima dorſa vallis ſaltuoſa ſerpere
Perq; campos, perq; pagos pertinax incendium.
Igne ſæuior furenti feruet ira percitus.
Fluctuum ſe ſalſa magno Regna tollant impetu:
Carbaſis fractis fatiſcat quaſſa puppis horrido
Turgidi maris tumultu; voce clament flebili,
Inuocentq; ſupplicantes dia Cæli lumina
Nauitæ mergi pauentes æſtuanti vortice.
Cordis impij procellis nulla par eſt inquies:
Senſuum motus rebelles vna virtus comprimit,
Si potenter flans ab alto Sanctus adſit Spiritus
Flamen almum, te beatam largiente gratiam
Pura mens dono quietis læta ſemper exilit:

Siue pontus intumeſcat, ſiue flamma ferueat,
Siue nimbus, atque grando, ſiue bellum ſæuiat.
Nubis expers hora veris vt ſerenat æthera!
Mane ſurgens Sol ab ortu luce fulget aurea:
Vda roris herba guttis, prata rident floribus:
Dulce concinunt volucres frondium ſub tegmine:
Abſq; motu conquieſcit vnda Ponti cærula:
Summa nautis pacet æquor vitreum pellacia,
Ambiat diffuſa Cælum quantauis ſerenitas,
Vna cordis innocentis maior eſt tranquillitas.

FELICITATIS HVMANAE FVGA CAELESTIS ADEPTIO.

ELEGIA.

PRætereunt anni, celeri pede labitur ætas,
Et vix orta Dies non reditura fugit:
Circumdantq; breuem varijs diſcrimina vitam
Caſibus: hora graui nulla timore vacat.
Arentes veluti Boreas ex arbore frondes,
Sic homines lethi vis inopina rapit.
Nos tamen affixi terræ traducimus æuum,
Ac ſi mors vnquam non obeunda foret,
Exactæq; dies ignaua per otia vitæ
Negligat æterna pendere lance Deus.
Prodigus hic auri, ſublimes extruit AEdes,
Quæ vaſta referunt mole Neronis opus.
Tollitur hinc Aulæ paries, fornixq; decenti
Se ſpatio profert; porticus inde patet.

Quas

Quas animæ afflatu dicas, ſenſuq; vigere
Vt mira formas exprimit arte color!
AErea ſigna, lapis Parius, pretioſa ſupellex
Vt capiunt animos, intuitumq; tenent!
Ille colens largo ſolers viridaria ſumptu,
Gaudet Agri donis, ingenioq; ſoli.
Vitrea deuexis paſſim diffunditur hauſtris
Lympha, vago ſerpens culta per arua pede,
Quæ circum irriguis deducta canalibus ambit
Diſtinctas terræ fœtibus areolas.
Hìc frutices creſcunt, frondens ibi germinat arbos:
En illic flores, veris odora cohors.
Tonſilis herba refert, Eoûm inuenta, tapetes,
Et myrtus varias ingenioſa feras.
Hìc procul à curis pandit ſe purior æther,
Iucundumq; ciet frigus ab arboribus.
Per nemoris ſpirant frondes Zephyritides auræ,
Quas volucres lætis vocibus excipiunt.
Attamen optata fruſtratus vterque quiete
Quæ ſua ſunt ſpernens, expetit id, quod abeſt.

Eſt,

Eſt, qui miratus ſortem redeuntis ab Indis
Cæruleum pinu per mare currit iter:
Nec pauet inſido vitam concredere Ponto,
Vt magnas aliјs præſtet adeptus opes.
Aſt alius ſobolis fœtu protendere gentem,
Coniugijq; bono par putat eſſe nihil:
Virginis eximiæ formam ſua gaudia ducit:
Huic thalamo iungi nocte, dieque cupit.
Sunt, quibus eſt blandæ plauſus gratiſſimus Aulæ,
Et pueri cantus, voxque ſonora lyræ.
Nil illi potius, diro quam gloria bello
Parta, libens clarum ſanguine nomen emit.
Adſpiratq; manu ſceptrum geſtare, per enſes
Cæde ſibi ſternens, inſidijſq; viam.
O vanas Hominum curas, & inania vota:
Si quis & aſſequitur, quicquid anhelus auet.
Stillantes cribro latices de flumine portat,
Plenaq; rimarum dolia complet aquis.
Non mihi ſint Regum Vitæ, nec funera teſtes:
Eſt tua, Rex Salomon, pagina nota ſatis.

Pierius reſonet cantus, famulatus abundet
Promptus, & aſsyrio ſpiret odore Domus.
Quid regale iubar, vel opum quid gloria prodeſt!
Quid populi plauſus deliciæq; iuuant?
Sunt auræ ſonitus, vel opus, quod aranea texit:
Nectunt, ſint quamuis aurea, vincla manus.
Quid decor eſt formæ? veluti Roſa ſera ſuperbit,
Sole oriente oritur, Sole cadente cadit.
Exeritur viridi ſepto, decerptaq; floret
Viuida, ſed ſubito languet, & atteritur.
Lubrica ſors Regni, ſpinoſis anxia curis,
Inſtabilis fertur vi male nixa rotæ.
Neſciat aduerſos caſus, partiſq; fruatur
Tuta, tamen trepido corde futura timet.
Vt ſtipulæ tenuis vaneſcit ab igne fauilla,
Sic micat, & fugiens gloria Regis abit.
Cætera deficiunt, vt aquæ tenuiſſima bulla:
Sola mihi ſupereſt, qua tumulabor, Humus.
O anime infelix, Terræ quid munera quæris?
Te ſibi, te Cælo condidit ipſe Deus.

Et

Et potes inſanos cordis præferre tumultus
   AEternæ Paci, lætitiæq; Poli?
Hìc te pugna manet, victori debita ſolum
   Palma; coronatus, qui bene pugnat, ouat.
Nec fuerit Chriſti miles certamine victor,
   Humanis humeros ſi grauet exuuijs:
Sobrius huic aptus pugnæ, per commoda tranſit,
   Degit in excubijs, eſurit, atque ſitit.
Legerat ex acie, Domino mandante, trecentos;
   Quos videt è digitis lambere fontis aquas
Dimiſſis alijs Gedeon, quos potus hianti
   Gutture humi pronos flectere crura iubet:
Mox fugat innumeros hoſtes, multiſq; peremptis
   Exigua Madian caſtra phalange capit.
Rebus in his fluxis licitus ſe quatenus vſus
   Proferat, vnda labris parcius hauſta docet.
Haſce natans per aquas canit, arridenſq; voluptas
   Vt Siren varijs attrahit illecebris.
Me miſerum ſpecies vmbræ ludentis in amne
   Decipit, & blandis fallit imaginibus:

Allicit incautum mendax dulcedine cantus,
Donec recludat funeris hora dolos.
Heu quid agam? Denſa cingor caligine culpæ:
Noxius ab nimium diluit ora liquor.
Abripiunt motus animum, ſic membra natantis
Sæpe trahit vortex, mergit, & haurit aquis.
Ardua res prauos ſubito deponere mores.
Arbiter eſt vſus, ni Deus adſit ope.
Criminis heu quanto preſſus ſub faſce laboro?
Intentant facies mortis, & vmbra metum.
Si venerande ſenex, Stridon quem protulit Orbi
Virtutum ſpecimen, Chriſtiadumq; decus;
Tu trepidas, meditans ſupremi temporis horam,
Quamquam ſis vitæ conſcius innocuæ;
Quas animo voluam curas, quem iugiter ætas
Arguit in ſcelerum ſordibus acta reum?
Terrificæ quoties mortis ſubit vltimus ictus,
Iure tuis tecum ſenſibus afficior:
Nempe Tubæ reſonans clangor mihi perſonat aurem,
Horrendumq́ Dei nunciat Ira diem.

Siue legam, capiamue cibum, ſpatierue per Vrbem,
Languida ſeu noctu membra ſopore leuem;
Acria concipiens vltoris Iudicis ora,
Anxia mens horret, cor labat, oſſa tremunt.
Parce precor Cuſtos hominum, mihi parce precanti:
Ah tua Chriſte tuum dextera perdet opus?
Te mihi redde prius, quàm triſtes cedat ad vmbras
Spiritus: ah tutum lux tua pandat iter.
Hei mihi parce, tuum clemens compeſce furorem:
Quid miſer heu capiam te ſine conſilij?
Nam ſine te mentes humanas nulla ſalutis,
Veri nulla boni cura ſubire poteſt.
Temporis amiſſi cruciant diſpendia mentem:
Ah gemat os, plorent lumina, cor doleat.
Hæc via ſola patet: dolor eſt ſociandus amori.
Ah tua me ſpecies, te mihi iungat amor.
Me tibi iungat amor, Patris qui ſumma poteſtas
Terrenumq; regis, ſydereumq; globum:
Tu radijs fulgens, perfecti Forma decoris
Inſeris omne iubar rebus, & omne decus.

Attamen anguſta voluiſti clauſus in aluo
Virginis, humanas natus obire vices:
Et Crucis in ligno configi, vt morte redemptos
Mortales Erebi faucibus eriperes.
Proh me vecordem? tanto male gratus amori,
Innitar fluxis, & fugitiua ſequar?
Ah pereat quicquid gemmarum, quicquid & auri
Diues Arabs, Gangis potor, & Indus habet.
Militiaq; gradus, Regumq; optata faceſſat
Purpura, ſeu quicquid ſuggerit Ambitio.
Proh pereat luxus, pereat maleſuada voluptas:
Te ſine Chriſte graui dulcia felle madent:
Te ſine iucundum nihil eſt, nec amabile quicquam:
Ipſi in luce ſua luce carent oculi.
Iucundus labor eſt tecum, fit dulcis amaror:
Tu mihi pax cordi, tu mihi Chriſte quies.
Fac precor, vt recolens noctesq; diesq; requirat
Te mea mens vnum, cogitet, optet, amet.

LAVRENTIVM MAGALOTTVM
VTRIVSQVE SIGNATVRÆ REFERENDARIVM
Ruſticatum inuitat.

ARVA madent pluuijs, & amabilis aura calores
Iam fregit, celeriq; fuga ſe proripit æſtas:
Rura vocant, lætiſq; patens in collibus aër.
Hìc recreor, ſpatiorq́; libens, vbi libera longos
Lumina metiri gaudent obtutibus agros.
Hìc reficit corpus vires, ſeniumque moratur,
Hìc bona ſollicitam tranquillant otia mentem.
Si MAGALOTTE placet triſtes deponere curas;
Qua Lacus Albanus vitreis diffunditur vndis,
GANDVLPHI Pagus veteris pars altior Albæ
Excipiet lare nos modico, qui ſufficit vſus,
Quos paruo contenta petit Natura. Superbæ
Non AEdes, animi requies facit vna beatos.

Hanc tibi, quæ cordi, ſolum parat ardua Virtus.
Huc igitur ſecede: bonis, quæ detulit anni
Hora, Parenſq́ ſua tellus dat ſponte, fruêris:
Nec vitulus lactens, & odoro gramine veruex
Paſtus abeſt: dant oua cibum, piſceſq; recentes.
Aucupium iuuat? Hìc ſtipulis ager abdit Alaudas:
Hìc nutu ſignata canis capienda Coturnix
Obtentu retis: lini ſeu fallere nexu,
Seu viſco Turdos libeat, venantis in vſum
Eſt nemus aptatum: Perdix, & Phaſidis ales
Non deſunt: capies Lepores, Capreaſque fugaces,
Quà prope frugiferis tellus fert pabula campis.
Cætera formoſus quæ præſtat commoda collis,
Accipe. Fons gelidum deductus munere Pauli
Fundit aquæ riuum, cordiq; ſalubrior æther
Influit: hûc ſiquidem ſpirans non amplius Auſter
Aduehit humentes vicina è valle vapores:
Vberibus ſegetem glebis, herbaſq́ virentes
Nutrit humus, nuper cœno, lymphaq; paluſtri
Obruta. Cùm terras oriens lux aurea Solis

Exhi

Exhilarat, ſummo ducet te ſemita cliuo,
Vnde lacum ſpectare licet, quem ſcena coronat
Frondea: nam gemini coëuntes more Theatri
Vndiq; protenſo tollunt ſe margine ripæ,
Quas illinc auium ſedes & quercus, & ilex:
Populus hinc ambit, ſociataque vitibus ornus.
Non procul obliquo curuat latus orbita flexu,
Aſſurgenſq; noua templum ſuperimminet Alba,
FRANCISCI cui ſacra Cohors famulatur: ad Aram
Hic tibi fas Superos in vota vocare: Sacerdos
Dum ſanctè peragit paſſi myſteria CHRISTI.
Mox gradiens vario qua tramite diuidit hortus
Areolas, miſtoq; olerum, florumque colore
Pingit humus, nemoris gratas aſcende per vmbras,
Eſt vbi montis apex; capiet te mira voluptas:
Si circumſpicias, aſpectu videris vno
Oppida, camporum tractus, ſyluaſq; comantes,
Paſcua, clementes colles, vineta, lacumque,
Et maria, & montes, auguſtaque mœnia ROMÆ.
Nunc age ſolertes protende per omnia viſus.

En prope ſubiectis vites in collibus vuam
Obijciunt oculis, oſtro quæ certat, & auro,
Et latices fundit, referunt qui vina Falerni.
Oſtentat Pomona ſuos ex arbore fœtus,
Quæq; fluant muſto, promit ſua præla Lyæus.
Aſpice planitiem, gregibus quæ gramina paſſim
Exhibet, & latè campos, quos præbet arandos,
Vt larga Tyberis diteſcant horrea meſſe.
Quæ Populum reſerata beant ſub Principe PAVLO.
Hinc etiam diffuſa procul maris æquora cernas,
Quæq; ferunt celeres albentia carbaſa puppes:
Cum vitreum radijs dorſum Sol deſuper ambit,
Mobile Lucis iter format, miroq; nitori
Non impar, quem ſyderibus compacta minutis
Aëris in ſudo noctu Via Lactea pandit.
Longius exurgunt altæ faſtigia rupis,
Quam Circe tenuit: pelagi ſe prodit ab vndis
Pontia, nunc dumis horrens, & inhoſpita, Quondam
Chriſtiadum exilijs celebris, cum dira premebat
Sæuities Chriſti cultum. Vicinus in auras

Prominet Albanus vertex, vbi cæca Quiritum
Eſt ætas operata Iouis Latialis ad aram:
Ardua Soractis ceruix vt in äera fertur!
Apparent Cimini montes, colleſq; Sabini,
Et iuga Samnitum, ſummas æquantia nubes.
Quàm iuuat intuitu magnas diſcernere moles
Vrbis? ab Exquilijs celſa teſtudine culmen
Porrigit eximij ſpecies miranda Sacelli,
Quod tibi Chriſtiparens, almi lux prima Pudoris
Addictum poſuit ſtudium, pietaſque dicauit,
Qua coluit, puroque colit te pectore Paulus:
Cuius opus pulchro ſurgens in colle Quirini
Se Domus extollit, regali condita ſumptu.
Excelſi tholus en Templi ſe proximus infert
Syderibus, pia quod vaſto molimine cura
Pontificum ſtruxit Petro. Te Paule loquetur
Poſteritas, laudemq; tuis hanc laudibus addet:
Nam tibi debetur tanta pars maxima molis.
Sed tua dum vario Laurenti lumina paſcis
Proſpectu, rapidos Cæli per inane Iugales

Phœbus agens, minuit iucundas altior vmbras.
Qua tamen hàc Albam prono petit obuia ductu,
Hinc iter inflectens reduces in limine ſiſtet
Nos via, nec venti flabris, nec peruia ſoli:
Arboreis etenim ramis vtrinque vireſcens
Explicat vmbriferum gratiſſima tegmen eunti.
Poſt epulas dulci dederis cùm membra quieti,
Et medium Phœbus Cælum tranſmiſerit axe;
Non procul in ſyluam ſonipes te deferet: illam
Huc illuc greſſu placido peragraſſe iuuabit:
Hìc tibi Caſtaneæ frondentia brachia pandunt
Quercubus admiſtæ, feſſoq; vmbracula texunt:
Siue per annoſos rheda vectabere ſaltus,
Quà latè montana patent æquata viarum
Strata rotæ, Nemus hàc petitur, ſpeculumque Dianæ:
Hoc lacui nomen fecit, quæ pura liquentis
Lympha vitri ſpeciem referens, ſinuatur in Orbem.
Abditus hic inter ſyluas eſt creditus æuum
Hippolytus duxiſſe, nouo de nomine dictus
Virbius, auxilio Triuiæ reuocatus ad auras

AEthereas: arcebat equos hinc vana Vetuſtas,
Quòd pauidis abreptus equis per deuia letho
Sit datus Hippolytus. Valeant inſomnia Pindi.
Vt veterum, quæ vera, Virùm iucunda recurſant
Mentibus, apta facem rebus præferre gerendis!
Hinc oriens primùm Romana potentia fluxit
Poſt varios caſus, dubijque pericula Martis:
His pater Æneas profugus conſedit in oris,
Quem tandem rapiens abſorbuit vnda Numici.
Filius Aſcanius conſtructis mœnibus Albæ
Dat Regum ſeriem, quorum de ſanguine felix
Romulus auſpicijs æternam condidit Vrbem.
Linquimus AEgeriæ lucum, quo prouida virtus
Aucta Numæ, Populumque rudem belloq; ferocem
Formauit ſtudio pacis. Non funere fratrum
Territus, hìc ternos proſtrauit Horatius hoſtes.
Immodicis Albanus aquas lacus auctibus olim
Extulerat, nullis manantibus æthere nimbis:
Si ripis emiſſa, maris non influet æquor
Vnda lacus, Delphis, inquit, conſultus Apollo,

Romani capient obſeſſos milite Veios:
Permeat hinc ſubiens caſi per viſcera montis
Iugis aquæ riuus. Species ambeſa Theatri,
Stirpibus innatis ſqualet: quater hoſtibus Alba
Ludibrium iacuit: denſis en obſita dumis
Regia, quam poſuit Romani Flauius hæres
Tertius imperij, faſtu qui turgidus egit
Hìc annos epulas inter, mimoſque loquaces,
Delicijs fractus. Iactet nunc ſtemmata gentis.
Ignotos extrema dies inſignibus æquat.
Ingentem ſubitus ſyluam cùm corripit ignis,
Confundunt cineres quercus, humileſque myricæ.
Mitte ſuperuacuum cultum, curiſque ſolutus
Eripe te rerum ſtrepitu. Sibi viuere dulce eſt.
Viue Deo, tibi ſic viues, te ſola ſequentur
Poſt cinerem bene facta. Rapit reliqua omnia lethũ.

ALEXANDER
ECLOGA.

QVÆ ſolita es pecudes inter frondentis in vmbra
Ilicis agreſtes calamos inflare Thalia,
Linque caſas nemorum, cultuq; ornata decenti
Marmoreas Regum turres pete: digna ſonora
Voce tuba Heroum molimur maxima facta.
Non facit atrocem ad Martem rude carmen Auenæ.
Ecquis Alexandri poſſit tàm grande ſonanti
Carmine complecti laudes, vt facta canendo
AEquarit? Nec enim tantum Ducis inclyta virtus
Cæſaris ingentes animos imitatur, & auſus
Scipiadum, Fabijue moras: quot protulit vnquam
Roma Ducum claras virtutes, excitat vno
In Duce Alexandro Mauors: Thrax efferus, enſis
Fulmineos ictus ſenſit: cum cærula paſſim
AEquora Turcarum fuſo rubuere cruore,
Quà mare Naupacti fluctu caua littora plangit.

Hic iterum fractæ vires Orientis ab armis
Heſperiæ, hic ſacram captæ videre triremes
Per ſua tranſtra Crucem victricia pandere ſigna.
Acer in aduerſos illum rapit impetus hoſtes:
Nulla Viro virtus obſtat, vis nulla reſiſtit
Herois gladio: nigras mors explicat alas
Lunigeras puppes ſuper, ac truncata cadentum
Membra cruentati fluitant per marmora ponti.
Helleſpontiaca Bizanti in ſede Tyrannum
Fama volans tantæ turbatum nuncia cladis
Perculit: huc, illuc trepidè per compita fertur
Correptum pauidis vulgus præcordia curis.
Quiſque fugam meditans, incertis anxius hæret
Conſilijs. Facilè poterat perterritus hoſtis
Ad priſcas Tanais cogi remeare latebras;
Ni fera Chriſticolis, vario diſcordia motu
Diſtractis, meritæ rapuiſſet præmia palmæ.
Sic placitum Superis noſtræ ob contagia culpæ,
Gaudentis patrio perfundere ſanguine campos.
Nec tua Alexander tantum decora inclyta nouit

Qui colit eoas oras, & clara trophæa
Miratur, captaſuè dolet prædaſque, viroſque,
Armatamque timet funeſta in prælia dextram.
Nouere Auſonij, Bataui ſenſere ſubacti.
Hi magnos auſus animi, metuendaq́; fortis
Damna manus; Illi meritos ex hoſte triumphos,
Et ſummos immortalis Virtutis honores:
Hique tuam noſcent ventura in ſecula famam,
Quos & vterq; Polus, quos Taurus claudit, & Athlas,
Quique ſua inuertunt noſtris veſtigia plantis.
Nulla tuas poterit laudes abolere vetuſtas,
Dum Scaldis tumidum rapidis irrumpet in æquor
Fluctibus, & ſtabit celſis Antuerpia muris:
Bellica dum Belgæ ſoboles, nomenq; manebit.
Nam quid ego hoſtiles ſumma virtute fugatas
Commemorem turmas, debellataſq́; phalanges?
Quid fluuij clauſum per aquas iter obice pontis,
Quem Ratis incaſſum tentauit perdere nitri
Fœta dolis, iuſſaſq́; ferens in tempore flammas?
Seu quid conſilio, perniciq́; oppida capta

Aduen-

Aduentu! Vel aquis cinctas, & mœnibus arces
Aſſiduis victas ſtudijs, vrbeſq; ſubactas!
Nec tibi res fuerat tantum contra horrida Belgæ
Arma, nec aduerſus munitas aggere foſſas.
Sæpe Britannorum ſæua vndique circumuentum,
Gallorumq; acie Regio te Belgica vidit,
Ac tria deuicto referentem ex hoſte trophæa.
Non tibi tormentis ſæuos imitantibus ictus
Fulminis, aut lymphis circumſtagnantibus altæ
Vrbis agrum eſt aditus clauſus: non fluminis vndis,
Quà celeres furtim lintres alimenta ferebant
Hoſtibus obſeſſis: victor tanta Vrbe potiris.
Qualis in Alpino nodoſa cacumine quercus
Sæpius incurſus Boreæ fruſtrata frementis;
Et quamquam inſolito miſcetur turbine Cælum:
Stat tamen immota, & venti vix frondis honorem
Decutiunt; tenues fulmen ſi forte per auras
Iuppiter in quercum contorſerit: illa repente
Concidit, & campis infert, ſegetiq; ruinam:
Palantes fugiunt pecudes, pecudumq; magiſtri;

Ac ſibi tota timet ſubſultans murmure ſylua.
Talis, vt Herois generoſæ robora dextræ
Senſit, Iberorum conſueta euadere niſus,
Cedit, & admittit victorem Antuerpia portis.
Iam pauor excurrit mortis, iam terror oberrat
Exitij. Quid agat? tantis circumdatus armis!
Quid tentet? Veniam ſupplex ſibi Belga precatur.
Et licet incenſum valido cor ferueat æſtu:
Tu tamen antiquæ Farneſi gloria Gentis
Supplicibus veniam defers, & bile tumentis
Vltores animi ſedas in pectore motus.
Hoc Virtutis opus. *Nunc ò quantum libet illa,*
Nunc tui Alexandri facta inclyta Græcia iacta.
Eſt & Alexander Romæ, æque fortis in armis:
Maior in hoc; nec enim tantum deuicerit hoſtes:
Hoſtibus at victis ſeſe quoque vincit, & iram.

IVLVS
ECLOGA.

INFELIX Galatea vagas Minionis ad vndas,
Seu ſolis fugeret radios, ſeu ferret opacas
Nox tenebras; raptum crudeli funere Fratrem
Flebat, & aureolum vellens de fronte capillum,
Nequicquam hos gelidis ſyluis, & flantibus auris
Iactabat queſtus, animamq; vocabat amatam.
Cur dolor heu prohibes in fletum ducere voces?
Siue quid inuitis lacrymarum ſupprimis imbrem
Luminibus? mea cur tantum ſingultibus ora
Mœſta ſonant? iuſtis nec dum laxata querelis
Eſt via? Tene mihi Frater tam dirus ademit
Caſus, & ante diem ſæua tibi lumina morte
Condidit? Heu te tam crudelia fata manebant,
Vt tibi fulmineis foret ictibus occumbendum?
Horrendo intonuit nimborum murmure Cælum,
Ac ſimul abruptis eliſus nubibus ignis

Excidit: heu ſubito correptus fulminis ictu
Volueris exanimis, lucemq́; relinquis Iule.
Ipſaq́; tam duro caſu concuſſa repente
Frigore corripior pectus, greſſuſq́; labantes
Heu me deſtituunt: certà vix ſede manet mens.
Accurro tamen infelix, collapſaq́; membra
Excipio, ſimul & pallentibus oſcula labris
Admoueo, fruſtraq́; tuo te nomine Frater
Compello, extremumq; animæ fugientis in auras
Halitum ab ore lego, & morientia lumina condo;
Et feretro gelidos compono flebilis artus:
Teq́; rigo lacrymis. Tandem produceris; & iam
Funereis de more viæ longo ordine lucent
Ignibus, implenturq́; leues lugubribus auræ
Vocibus: atratis cognati in veſtibus adſunt.
Te ſequor hos inter, comitàtaq; ad vſque ſepulchrum
Inferijs mœrens adſto. Pia turba precantum
Circumſtat feretrum: iuſtis & rite peractis
Non illaudatum tumulo te condit Iule.
Ah quid, cum febris iactatus ab igne iacebas,

Effudi Superis ſupplex pia vota? Quid ora
Reſperſi lacrymis cumulans altaria donis?
Scilicet vt ſæui rapereris fulminis igne;
Nec miſera heu miſerum extremo ſub tempore Fratrem
Affari poſſem, & voces audire ſupremas?
Ah dolor, ah lacrymæ: tantas an concipit iras
Nubiferum Cælum? Quid ſi non liber ab omni
Crimine vixiſſes? Nulli mors inuida parcit.
Inuida mors, Fratris cano num vertice crinis
Albebat; diroue dapes, aut vina veneno
Dextera miſcuerat, furtim molita piorum
Funera? An in quenquam violentum ſtrinxerat enſem?
Anne fidem Superum ſancto violarat abuſus
Numine? Num Templis atros immiſerat ignes?
Heu benefacta nihil, florens nil profuit ætas,
Heu nihil incorrupta fides, menſque integra iuuit.
Ah Frater media miſer intercepte iuuenta,
Quo mœrore, quibus curis me conficis ægram:
Quos acuunt tua fata mihi ſub corde dolores?
Nam poſtquam horriſoni cecidiſti fulminis ictu,

Quam-

Quamquam ſex denos rutilus Sol extulit ortus:
Biſq; Soror iunctis compleuit cornibus orbem;
Non tamen vlla meam poſſunt ſolatia mentem
Mulcere, aut cordi infixum ſedare dolorem.
Inuiſæ mihi ſunt Comites: dant omnia flendi
Materiem, lucemq; ſimul, noctemq; peroſa
Te cupido exquirunt Frater mea lumina viſu.
Nullam fert requiem tacita ſub nocte cubile:
Quin noſtris tantum reſonat plangoribus æther.
Et mihi vix primi claudit ſub luminis ortum
Sera quies oculos; buxoque ſimillima campos,
Et montes peragro, tellus vbi lampade fulget
Phœbea, noſtriſq; ſonant nemora alta querelis.
Et cum deficiens mediis vox faucibus hæret,
Ilia ſingultus quatiunt, tepidæq; per ora
Voluuntur lacrymæ: & gelidæ iam lumina mortis
Ferreus vrgeret ſomnus; ni Delia nuper
(Delia, quæ ſacro vitam caſtiſſima Templo
Tranſigit, & veras illi tranſmittere fertur
Præſcia mens Vmbras, ſeriemq; aperire futuri.)

Lenibus alloquijs curas, pœnamq́; leuaſſet.
Illa quidem dixit, Frater dulciſſime, iuſſu
Ætherei Patris, ſummo qui regnat Olympo,
Te loca adiſse, quibus priſcæ veſtigia culpæ
Omnia delentur: noſterq; hinc ſpiritus aſtra
Aſcendit leuior, Cæliq; in parte locatur;
Teque breui æthereas ſubiturum tempore ſedes.
Sed tantos animi vt melius componere motus,
Ac ſolidum poſſim pœnis adhibere leuamen,
Spiritus ò Fratris tenues labare per auras;
Huc adſis, leuis Vmbra, tuam miſerate ſororem,
Si de te verum prædixit Delia, pande;
Ne mea perpetuò titubet mens neſcia. Sed iam
Hùc ades ó cari dulciſſima Fratris imago:
Hùc ades, aſpectuq́; tuo ſolare dolentem.
Talia dum iactat, Cælo proceſſerat alto
Humida nox, latèque ſolum, pontumq; tenebat.
Et licet hìc dederit finem defeſſa querelis;
Non tamen abſceſſit luctus: quin triſtia fletu
Lumina rorabant, ſingultuſq; ora ciebant.

Iam

Iam verò Heſperias Phœbe properarat ad oras,
Quadriiugis inuecta rotis, pronoq; ſub vndas
Oceani Calo, vaga ſydera voluebantur,
Cum tandem madidos irrepſit ſomnus ocellos.

AD VRBEM ROMAM IN OBITV

ALEXANDRI FARNESII

S. R. E. CARD.

HEndecaſyllabi Catulliani, quinque conſtantes pedibus: primo vel Trochæo, vel Spondæo, vel Iambo: ſecundo ſemper dactylo, tertio, quarto, & quinto Trochæis, vt eiuſdem metri ſchema datum eſt ſupra. *Inſerta vario nitore gemma.*

QVID fles purpurei decus Senatus
Roma Farneſium tuum peremptum?
Fletum comprime: viuit Ille vita
AEternum meliore nactus æuum.
Nam viuens aluit Parentis inſtar
Quantum floruit eruditionis
Puberes miſeros, Senes, & AEgros:
Pauperum genus omne, Virgineſq;

Sacras munifica manu leuauit.
Et nouas fabricauit, ac vetuſtas
Auxit diuitijs, & ampliores
AEdes reddidit. An carere tantis
Commodis cruciaris, angeriſque?
Atqui Farneſius per hæc, quietem
Perennem peperit ſibi: neque æuo
Poſſet perpetuo frui beatus:
Ni tu præſidio illius careres.
Et quo tu quereris magis, doleſq;;
Erga te merita illius fateris
Eſſe eo magis ampla: Sic & hiſce
Illi gaudia parta pleniora.
Quare, ni male grata tete in illo
Amas, ſed redamas tuum Patronum;
Fletus comprime. Nam tuo leuamen
Dolori dolor ipſe fert; Tibiq;,
Quo doles magis, eſt minus dolendum.

AD GRATVLATIONEM

ANTONII GIGANTIS

RESPONSIO

NOMINE DIONYSII RATTÆ
IN NVMERVM ROMANAE ROTAE
Auditorum nuper adſcripti.

Hendecaſyllabi Catulliani, qui ſupra.

QVOD Patrum Pater omnium ſupremus,
Clemens Maximus, Optimuſq́; Princeps
In me munificus ſatis ſuperque
Dignitatis in hoc gradu locatum,
Pondus tam graue me ſubire iuſſit;
Gigas tu mihi gratularis? eſſe
Iucundam mihi gratulationem
Tam caro à capite haud negare poſſum;
Quin ago tibi gratias perennes.
Verùm eſt ex animo mihi dolendum,

Virium

Virium bene conſcio mearum:
Ni præſens Deus adſit, Ipſe mentem
Meam lumine luſtret: inque Iuſti
Et AEqui dubia via labantem
Me regat. Meus huc laborq́, & omne
Confertur ſtudium. Inter hoſce clauſa
Limites mea cura non vagatur
Vltra: dum Rota in Orbe conſtitutus
AEui, quod ſupereſt, agam: mihiq;
Hoc ab Orbe refertur Orbis ille
Cæli; vt hiſce laboribus libenter
In motu, veluti Polus, quieſcam.

AD VIRGINIVM CAESARINVM

CAESARINI DVCIS FRATREM

Propter ſalutem inualidi corporis ruſticandum, & curis, & libris aliquam ſalutem eſſe dicendam.

HEndecaſyllabi Catulliani, metricæ rationis eiuſdem, quæ ſupra.

VIRGINI, decus eruditiorum,
Amor Caſtalidum, iubar Quiritum,
Quos vera bona gloria cupido
Pennis euehit aureis ad aſtra,
Quid rerum geris? vt vales? vt oris
Antij recrearis? an tepore
Iſtic aëris, vt ferunt, iniquum
Bruma frigoris impetum remittit?
Floridi tibi veris adſlet aura,
Quæ Cælum ſine nubibus recludat,
Vt dulces nemorum queas per vmbras

Secu.

Securus pede libero vagari,
Dum cantu querulo ſtrepunt volucres.
Seu malis placidum maris per æquor
Huc illuc agili vehi Phaſelo,
Quem littus prope remus hinc, & inde
Impellat facili, leuique motu.
Squamoſum licet hic genus tueri
Luſus nectere luſibus: vel hamo
Piſcem ducere. Quam iuuat liquentis
Regni cæruleos obire tractus
Vago lumine, nigra dum per vndas
Alis carbaſeis volat carina!
Nec gratum minùs exhibet Theatrum
Tellus gramine læta, quam petulci
Huc hædi, pecudumque grex, & illuc
Immixti peragrant equis iuuenci:
Inter herbida prata ſe virentes
Diffundunt ſegetes ſatis in agris.
Addunt ſe ſuper, eminentque dorſo
Colles vitiferi, niueſque in altis

Procul

Procul montibus albicare cernis.
An non hac facies ſoli decora,
Proſpectuſq́ maris patens, & äer
Spiritus reficit, fugatque triſtem
Languorem, capitiſq́ fluxionem,
Quà fauces nimium ſoles peruri?
Mitte cum Medicis graues medelas:
Curas excute noxias, cupitæ
Valetudinis intimum venenum,
Et caros iubeas abire libros:
Sat te Ciampolus allocutione
Librorum vice detinet. Valentem
(Hæc ſi feceris, vt reor) reuiſam
Te breui. Deus annuat benignus:
Sic vouet tua Roma, ſic Amici.

DE OBITV
CARD. PALEOTTI
AD ANTONIVM GIGANTEM
EIVS FAMILIAREM.

ODe monocolos, ideſt vnius metri: ex quatuor enim pedibus, & cæſura verſus Aſclepiadæos omnes abſoluit: primo Spondæo, ſecundo Dactylo cum Cæſura, & deinde Dactylis duobus.

Mæce	*nas. ata*	*uis.*	*edite.*	*Regibus.*
— —	— ◡ ◡	—	— ◡ ◡	— ◡ ◡
Dum. mi.	*docte. Gi-*	*gas.*	*te. prope*	*mœnia.*

DVM mi docte Gigas, te prope mœnia
Vrbis Felſineæ ruris in angulo
A curis vacuum detinet otio
Muſarum, vitreis Rhenus aquis fluens;
Eheu Roma gemens quam fera funera
Cogit me miſerum cernere? quam grauis
Nunc me pœna premit, qui dolor occupat?
Antiquæ Gabriel gloria Felſinæ,
Et Patrum Columen, quos ſacra Purpura
Exornat, cecidit flebilis omnibus.

Quanto

Quanto Chriſtiadum publica res caret,
Et quo præſidio? Quem Senis optimi
Mores ingenui, puraq́; Sanctitas,
Quem ſincera Fides pectoris integri,
Virtutiſq; tenax rebus in arduis
Mentis conſilium, & copia diuitis
Linguæ, quem celebres ingenij latent
Fœtus? hunc querulæ munere neniæ
Non fraudare queas: quin tibi plurimum
Dilecti, meritas dicere Præſulis
Laudes cogit amor. Poſt cineres quoque,
Non fallor, Dominum tu colis. *Aggredi*
Hoc quis poſſit opus? quem deceat magis
Quam te, cui Gabriel deditus vnice?
Qui vi Pierij carminis, & lyræ
In lucem reuocas fluctibus obrutos
Lethæis? rutili nobilis Incola
Cæli nunc Gabriel præmia percipit
Vera; & quod poſita eſt meta laboribus
Lætatur: fera non amplius impetet

Illum

Illum, quæ miſeris diſcruciet modis
Febris, non lateris corripiet dolor:
Non fratrum interitum cernet, & integram
Carpet lætitiam, quam neque toxica,
Nec ſtrictus gladius, nec metus horridi
Belli turbet, & hic quæ mala plurima,
Caſuſq; ancipites omnibus imminent,
Quos vulgus fatuum non bene iudicat
Felices. Etenim vita Potentium
Eſt regale epulum; ſed puer à ſcyphis
Circumfert pateram ſollicitudinum:
Felix, cui cyathos parcius ingerit.

RVRIS LAVDES.

IAmbici Senarij Catulliani puri, ſinceriq; ex Iambis omnibus.

Phaſe	*lus. il-*	*le quem.*	*vide-*	*tis. Ho*	*ſpites*
Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.	Iamb.
∪ —	∪ —	∪ —	∪ —	∪ —	∪ —
Ab. Vr-	*be. ru-*	*ra. nos.*	*vocant.*	*ad. o*	*tium*

AB Vrbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſq; gaudium.
Quid hìc moramur? Ecce ver vices refert:
Ad haſce tranſuolant plagas Hirundines,
Strepuntq; voce garrula, haud gemunt Itym:
Liquatur alba nix, geluq; ſoluitur;
Hyems recedit acris, atra nubila
Fugat Fauonius, renidet AEtheris
Serenus ambitus, fretumq; detumet,
Ratiq; cærulas recludit orbitas:
Opes & vda terra veris exerit.
Ab Vrbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſq; gaudium.

Nouo

Nouo virent amicta prata gramine:
Nouis & arua ſunt decora floribus:
Botroſque, pampinoſq; vitis induit,
Fluenſq; pura fontis vnda murmurat,
Et inter arborum tenella germina
Aues canunt, & aura lenis adſonat,
Eburna ceu chelys, choruſq; muſicus.
Ab Vrbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſq; gaudium.
Vt inter hæc patentis hauſtus äeris
Ad ima pectoris ſalubris influit!
Vt eſt videre dulce, ſiue collium
Aprica, ſiue montium crepidines,
Humum vel herbidam, ſatamuè, cum ſeges,
Velut maris tumentis vnda fluctuat!
Amœna quàm iuuat per arua progredi,
Vel eſſedi rotis, equòue deuehi
Agri per æquor! vt vigor reſumitur,
Laborq; firmat ægra membra viribus!
Ab Vrbe rura nos vocant ad otium

Bonæ quietis, innocenſq; gaudium.
Suis ibi pudica Muſa luſibus
Libens poteſt vacare, non licentiæ:
Vt arduis in Vrbe mens ſit aptior.
Grauis faceſſit inde cura, concidit
Moleſta turba litium. Negotijs
Datum ſatis: quid hìc moramur? Anxij
Receſſus eſt medela cordis optima.
Ab Vrbe rura nos vocant ad otium
Bonæ quietis, innocenſq; gaudium.

AD BERNARDINVM CAPPONIVM

ELEGIA.

EN Pater Autumnus, redimitus pulchra racemis
 Tempora pandit humi luxuriantis opes:
Imbre madent virides agri, fit mitior æſtus,
 Dum curſu claudit Sol breuiore diem:
Ortaque nocturni roris de flatibus aura
 Innocuum blando frigore ſuadet iter.
Tu ne igitur celebres Capponi linquere colles
 Vrbis, & es patrium certus adire larem?
O, niſi me patruis retinerent debita iuſſis
 Obſequia in Tiberis quod ſecat vnda, ſolo;
Non cari deſiderio detentus Amici
 Cogerer ingratos ducere in Vrbe dies:
Non equidem pluuijs torrens Hyemalibus auctus,
 Non oculis raperet te via longa meis:

Seu Tellus concreta gelu, niuibuſq; rigeret,
Seu flaret Boreas, imbricitorue Notus;
Seu ſqualeret humus camporum arentibus herbis,
Cultaque flammiuomus ſinderet arua Canis:
Non à te pelagi poſſent me auertere fluctus;
Nec maris incuterent mi fera monſtra metum:
Effera non Scyllæ rabies, non ſæua Charybdis
Ira, labor Nautæ, perniciesq; Ratis:
Horrida me nunquam terrere Ceraunia poſſent,
Vt tibi non eſſem fidus vbique comes.
Ora tamen diſtans, non me mora longa, nec ætas
Arguet vlla tui nominis immemorem.
Quem validè ſtringit præſtanti pollice Virtus,
Neſcius eſt ſolui nexus Amicitiæ.
Sic placitum Superis. Poſthac me Roma tenebit:
Tu ſine me repetes, quos rigat Arnus, agros;
Inclyta quà celebrem laudum Florentia famam
Explicat eximijs Patria clara Viris.
Te germana Soror, Genitrixque, Paterque morantur
Spem reliquam ſobolis, præſidiumq; domus.

Te tua rura vocant, Minio quà limpidus amnis
Profluit, & fracta ſpumeus albet aqua.
Huc procul à curis, animum quibus implicat Aula
Te vocat afflicti cordis amica quies.
Vt rerum mutat faciem tibi Frater ademptus?
Quas tibi fert vitæ, propoſitiq; vices?
Heu, quo te procul hinc ſenſu diſcedere cernam,
Cuius in aduerſis eſt mihi nota fides?
Heu, cum quo poſthac animi mihi gaudia: cum quo
Partiri curas tempus vtrumque dabit?
I tamen, aſpectuq; tuo ſolare Parentes,
Quos ſubitus Nati perculit interitus:
Interitus, quem ſciſſa manu Florentia crines
Flebilibus fertur collacrymaſſe modis.
Quid renouem luctum funebri carmine? mecum
Sat fleuit querulo triſtis auena ſono.
Non tuus occubuit Frater: nam claudere viſo
Lumina, in æternum ſunt reſerata diem.
Manantes lacrymas cohibe, mentiſq; tumultum:
Poſſumus audentes his grauiora pati.

A vicibus duris ætas incepta, beatæ
Abdita ſæpe ſinu ſemina ſortis habet.
Quid regem memorem Cyrum, fortemue Quirinum
Thybridis expoſitum prætereuntis aquis?
Aſpera quis neſcit Moſis cunabula? Teſtis
Tu Ioſeph, Fratrum vendita præda dolis.
Non crucient mala nos propero concepta pauore:
Nec ſpes vana auidi ſomnia cordis alat.
Sors ſua quemq; manet. quoties mens neſcia vitat
Quæ tolerata iuuant, & ſequitur quod obeſt?
Nos decet è Superum nutu pendere. Pericla
Intrepidè intrepido ſub duce miles obit.
Proderit hæc olim forſan perpeſſa referre,
Tempora cum nobis candidiora fluent.
Interea geminat vires exercita Virtus,
In propria retinet ſi ſtatione gradum.

IN FONTEM
MIRI ARTIFICII
EPIGRAMMA.

LARGIOR anguſta primum defertur in auras,
Inde magis lata ſubſilit vnda via:
Exprimit hinc patulum tenui cratera liquore;
Quid gelidam ſitiens non bibis hoſpes aquam?
Nam cui lympha ſitim mira non prouocet arte?
Ipſe calix lympha eſt, ipſaq; lympha calix.

DE FONTE
PONTIFICIO
NAVIS EFFIGIEM HABENTE.

BEllica Pontificum non fundit machina flammas:
Sed dulcem, belli qua perit ignis, aquam.

DE VLYSSIS ALDOBRANDI LIBRIS.

EPIGRAMMA.

MVltiplices rerum formas, quas Pontus, & Æther
Exhibet, & quicquid promit, & abdit Humus,
Mens haurit, ſpectant oculi, dum cuncta ſagaci
Aldobrande, tuus digerit arte Liber.
Miratur proprios ſolers Induſtria fœtus,
Quamque tulit, moli ſe negat eſſe parem.
Obſtupet ipſa ſimul rerum fœcunda Creatrix,
Et cupit eſſe ſuum, quod videt Artis opus.

IN PONTICI AVARITIAM

EPIGRAMMA.

VT parcas opibus, tibi quid non parcis? an vnquam
Augendi cenſus terminus vllus erit?
Deſine diuitias fuluo cumulare metallo:
Tã tibi deeſt, quod habes, quã quod habere nequis.
Quid tamen obduras toties, quid Pontice iactas?
Non niſi, qui frugi eſt, poſſidet vllus opes.
Tu mihi diues eris, qui, ne quo tempore partis
Diuitijs egeas, Pontice ſemper eges?

AD AVRELIVM VRSVM

EPIGRAMMA.

ALLICIS Aureli mentes: ſeu ruſtica pangis,
Seu fera bella refers, ſiue iocoſa canis:
Vtque tenet varijs pomis, & floribus hortus
Lumina; Lectorem ſic tua Muſa tenet.
At varia hortorum ſpectanti copia præbet,
Quæ legat; aut iſthæc, aut magis illa probet.
Tu tamen, Vrſe trahis Lectorem quolibet: & dum
Quod legat, aduertit; nil, niſi lecta legit.

IN MALEDICVM QVI IN VRBIS ROMAE NOMEN IMPIE LVSIT.

EPIGRAMMA.

CVM Romã nequeas (quod aues) euertere, nomen
Inuertis, mores carpis, & obloqueris?
Te Germana tamen pubes, te Græcus, & Anglus
Arguit, exceptos quos pia ROMA fouet.
Hoſtibus hæc etiam parcens imitatur IESVM.
Inuertis nomen: quid tibi dicis? amor. { amor ab Vrbe Roma.

DE EODEM NOMINE

EPIGRAMMA.

ROMA, ſibi quondam quæ robore ſubdidit Orbem,
Argiuo robur nomine ſignificat.
Obſita tunc tenebris taurino polluit Aras
Sanguine, cùm faceret ſacra nefanda Ioui,
Vertit ab his mentem cultus exoſa Deorum,
Et veri floret Relligione Dei.
Si nomen vertas, AMOR eſt, vt congruit! Illi
Nam pius in populos cuncta ſubegit AMOR.

DE SOLE ET APE.

LVCE fugat tenebras, cera dum veſtit ab igne
Accenſas faculas Æmula Solis Apis.

DE PRONVBO DEIPARAE VIRGINIS ANNVLO

Qui Peruſiæ religioſiſſime aſſeruatur.

EPIGRAMMA.

IMBRIFERIS Arcus fulgens in nubibus Orbem
Effera diluuij damna timere vetat.
Sic Deus omnipotens voluit: decus Annule maius
Eſt tibi, quem ſupplex Vrbs Peruſina colit.
Es gemino conſtans arcu felicior index;
Nam peragit Virgo nupta Salutis opus,
Virgineo Terræ coniungens fœdere Cælum.
Hac duce non pelagi, non Stygis vnda nocet.

DE NECE REGINAE SCOTIAE EPIGRAMMA.

TE quamquam immeritam ferit, ò Regina, ſecuris,
Regalique tuum funus honore caret;
Sorte tua gaude, mœrens neque Scotia ploret;
En tibi pompa, tuas quæ decet exequias.
Nam tibi non paries atro velatur amictu,
Sed terras circum nox tenebroſa tegit:
Non tibi contextis lucent funalia lignis,
Sed Cæli ſtellæ: Nænia triſtis abeſt,
Sed canit ad pheretrum Superum chorus aliger; & me
Cæleſti incipiens voce, ſilere iubet.

IN PIOS AFFECTVS ANGELI GRILLI ABBATIS EPIGRAMMA.

DEmulcent animos, ſacro quæ carmina plectro
Concinis, angelicos viſa referre modos.
Angele ſeu Chriſti cunas, vel funus acerbum,
Seu lacrymas memoras, quas pia corda cient.
Mirus vbique potes duras inflectere mentes:
Qui fluit hinc, ægris fit medicina, dolor:
Mox oritur diuinus Amor, curaſque profanas
Pellit, & humanum nectare pectus alit.
Hinc tibi cæleſti præcinget tempora lauro,
Qui manet Aligerùm te ſuper aſtra chorus.

AD

Ad Sereniſsimum Ducem

ALEXANDRVM FARNESIVM

DE VICTORIA BELGICA

EPIGRAMMA.

SVB Duce Roma tuo cecidit bis Belga: reſumpſit
Perfida bis fracto fœdere tela manu.
Nunc iterum arreptis infelix occidit armis,
Cogitur & duras rurſus adire vices:
Et tua tecta licèt iaceant illa aurea, ſentit
Stare tamen veteres in ſua damna viros.
Victor Alexander Belgæ das iura ſubacto,
Deſinat vt poſthac rumpere Belga fidem.
Pars laudis celebranda tuæ: cùm viceris hoſtem
Leni iniecta manu fræna docere pati.

DE PICTVRIS GVIDONIS RHENI IN SACELLO EXQVILINO Sanctiſſimi Domini Noſtri PAVLI V.

EPIGRAMMA.

VT trahit, ut retinet, defixaque lumina fallit
Quod Rhenus celſo fornice pinxit opus!
Pictorem celebras, hæres immotus, & anceps
Ambigis, an ſculptor, an ſit vterque ſimul:
Sculpta putas, quæ picta vides. ſic undique pulchrè
Prominet eximia perlitus arte color.

DRACO AEREVS IN FRONTE LAVRETI IN VIRIDARIO CARD. BVRGHESII

EPIGRAMMA.

NON ſedeo cuſtos, adſto venientibus hoſpes:
Non magis hæc domino, quàm tibi Villa patet.
Hìc requiem captare licet, paſſimque vagari,
Aëris hìc hauſtu liberiore frui.
Nec ſpecies animum turbet metuenda Draconis,
Non ego, quæ flammis Hydra perempta cadat:
Non ego ſum Python, feriant quem ſpicula; lauros
Ecce mihi credit Cynthius ipſe ſuas.

AD VLYSSEM ALDOBRANDVM

De eius admirabili rerum naturalium Hermathena.

EPIGRAMMA.

QVÆ Maris, & Terra peragrauit, & Aëris oras,
Non fluxis opibus mens tibi diues erat.
Sed cui ſat vitam paruo traducere: maius
Aldobrande decus fert tibi parua domus;
Parua quidem, magno pandit tamen æmula Mundo,
In vaſto quicquid continet ille ſinu.

AD

AD AVGVSTINVM NERVM PORCILIANI DOMINVM

In flore ætatis extinctum

EPIGRAMMA.

EFFERA mors Floræ paſſim bacchata per Vrbem,
Funereis nec adhuc exaturata rogis:
Dum quemquam potuiſſe breuem protendere lucem,
Siue obitum alterius non doluiſſe dolet:
Deliciæ Patriæ, decus Auguſtine tuorum,
Flos iuuenum, quo non alter amabilior:
Ne quiſquam mœrore vacet, luctuſue ſit expers;
Te, teneros annos non miſerata, rapit.

DE ATTILIO REGVLO

EPIGRAMMA.

AMBIGIS an patriæ maior ſit cura ſalutis
Attilio, an pactam non violaſſe fidem?
Quæ dictabat amor mirata eſt Roma loquentem;
Africa ſed reducem non minus obſtupuit.
Macte vir inuicta mentis vi: barbarus hoſtis
Muricibus tortum te laniare poteſt:
Et ſæuo perimens letho tibi munera lucis
Demere, dum iugi vulnere membra ferit:
Mors tamen atra nequit præclarum extinguere nomen,
Quin tua lux oriens hinc rediuiua micat.
Quod fragile eſt perijt: Virtutis fulgida Proles
Gloria perpetuò, non peritura, viget.

DE STATVA NIOBES IN HORTIS MEDICEIS

EPIGRAMMA.

BIS ſeptem Niobe natis, orbataq; caro
Coniuge ſum, ducto facta rigore lapis.
Ecce tamen ſpiro: nec enim de marmore finxit
Me faber, at vitæ reddidit arte noua.
Lumina non fundunt lacrymas: non marmoris hic eſt
Candor; hebent triſti pallida membra metu.
Omnis ineſt ſenſus, nec linguæ deficit vſus:
Sed taceo; timeo nam mage cauta loqui.

AD IOANNEM PELICANVM

SENATOREM VRBIS

In Petri Victorij librum de cultura Olearum.

EPIGRAMMA.

HVnc Pelicane Petri ſumma ſcriptum arte libellũ,
Exiguum noſtri pignus amoris habe.
Hinc poteris oleæ varios pernoſcere cultus,
Largius vt baccas germina læta ferant.
En age oliuarum fœcundas inſere plantas,
Et tua Palladio præla liquore fluant.
Palladis vt per te diffundant rura ſecundum,
Per quem iam primum floret in Vrbe decus.

EX GRÆCO
ANACREONTIS
EPIGRAMMA.

BOS cornu, pedibus Sonipes, rictuq; Leones,
Inſidijs Vulpes, vnguibus Vrſa nocet:
Eſt Lepori curſus velox, auibuſq; volatus,
Prouida mens Homini, conſiliumq; datum.
Quid pro conſilio, pennis, curſuq; Puellæ,
Pro rictu, inſidijs, cornibus, vngue, pede?
Pro cunctis tantum eſt teneris data forma Puellis:
Quin valet hæc ferro, quin nocet igne magis.

DE STATVA DIANAE

DORMIENTIS AD FONTEM

E P I G R A M M A.

PER ſyluas iaculis nuper, curſuq; Diana
Gaudebat celeres exagitare feras.
Nunc defeſſa iacet permulcens membra ſopore
Hic, vbi proſiliens leniter vnda fluit.
Marmoream ne crede: leuem leni äera motu
Ducit, & in viuo ſpiritus ore ſonat.
Non audis? ſimili ſopitæ murmure murmur
Confundens, aures garrula fallit aqua.

AD
CLEMENTEM VIII.
DE TABVLARIO PONTIFICIO
In Arce Adriana.

EPIGRAMMA.

HOC nos ſcripta loco dubios contemnere caſus
Poſſumus ò Clemens munere ſepta tuo.
Pro quo Sancte Pater noſtris tua gloria chartis
Viuet, dum nobis vita ſuperſtes erit.
Quid loquimur, ſi firmus obex nos protegit Arcis,
Et tua ſe propria fama tuetur ope?

AD M. ANTONIVM ROSSIVM EXIMIVM SCRIPTOREM

EPIGRAMMA.

VT variè formata ſuos tua littera tractus
Edocet, atque tuum dædala pandit opus.
Nulla tibi ſimilem, nec talem proferet ætas;
Sic tuus in chartis eminet arte labor.
Vnus Alexandrum meritò depinxit Apelles;
Vnus Alexandrum ſcribere dignus eras.
Scribe age quæ geſſit Petrus ſine ſanguine victor;
Vt tuus in tanto nomine viuat honos.

MONOMACHIA TERRENI AC CÆLESTIS AMORIS

EPIGRAMMA.

QVAM duris animum curis dolor intimus angit,
Nec ſinit optata me requiete frui!
Heu ſimul ac Cæli meditantem fulgor in altum
Tollit, amans Terram corpus ad ima trahit.
Diſſidium hinc oriens geminos committit Amores;
Inq́ meo aſſiduè pugnat vterque ſinu:
Concertant validis armis, ictuſq́ viciſſim
Declinant, artis vincitur arte labor.
Roborat hunc torpor, luxuſq́ procaxq́ voluptas;
Dum ſtimulant ſenſus mille cupidinibus.
Nititur at contra fractis hoſtilibus auſis,
Qui ſuperos inter nos vocat, almus Amor.

Spes

Spes ſimul & Pietas geminatis viribus adſtant,
Vt Victor ſiſtat cordis in arce gradum.
Inſpicit ancipitis Ratio diſcrimina pugnæ,
Et iugi clamans voce miniſtrat opem:
Cede boni fallacis Amor: vos ludicra peſſum
Ite; Domus Dominos non capit vna duos.

IN MIRAM HVIVS SECVLI HYEMALI TEMPORE FLORVM VARIETATEM EPIGRAMMA.

VERIS opes varios flores mirata, ſuperbit
Purpureas inter cana Pruina roſas.
Ver queritur, mœrenſq́; meos cur, inquit, honores,
Floriferumq́; rapis tu mihi Bruma decus?
Tu quoque, Bruma refert, glaciem furaris, in æſtu
Vt ſint vina magis grata, niueſq́; rapis.
Parcite iurgari, clamat Solertia: per me
Nix æſtate riget, florida vernat Hyems.

ΕΙΣ
ΤΟΝ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΛΕΟΝΤΑ
ΤΟΝ ΤΡΙΤΟΝ

ΤΟΝ ΠΑΝΑΓΙΩΤΑΤΟΝ ΚΑΙ ΠΑΜΜΕΓΙΣΤΟΝ

ΑΡΧΙΕΡΕΑ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

IN
SANCTVM LEONEM
TERTIVM

SANCTISSIMVM ET MAXIMVM

PONTIFICEM

EPIGRAMMA.

Ευπτερος ἱπταμένη γῆν, Φήμη, καὶ περὶ πόντον

Bene alata volans Terram ſama, & circum Mare

Ὡς ἄδουσα σέθεν τὰς ἀρετάς σε τίει;

Quam canens tuas virtutes te honorat!

Πῶς οἷός τις ἔη τιμαῖς κοσμεῖν σε πρεπούσαις,

Quomodo idoneus qui fuerit honoribus ornare te decentibus,

Οὐχ᾽, ὃν ἔχει τὸ, Λέων, σὸν στόμα, κόσμον ἔχων;

Non, quem habet, Leo, tuum os, ornatum habens!

Ὄμματά σοι, γλῶσσάν τ' ἐχθρὸς φθίσεν, οὐρανόθεν δὲ

Oculos tibi, linguamq. inimicus corrupit, de Cælo autem

Τῇ φθόγγος, κείνοις φέγγος ἐπῆλθε πάλιν.

Huic vox, illis lux ſuperuenit denuo.

Κλεῖσε τέλος θνητοῖς φῶς ὄμμασι, φθαρτὸν ἀναιρῶν

Clauſit demum mortalibus lumen oculis, corruptibilem perimens

Τὸν βίον, ἀχλυόεσσῃ δρεπάνῃ θάνατος


Vitam, caliginoſa falce mors,

Ἀλλὰ κλέος καλὸν λαμπρῷ σοι χειρὶ, τὸ θεῖον

Sed gloria pulchra fulgenti tibi manu, diuini

Εἰς φάος ἀμβρόσιον δέργματος οἶγε πόρον.

Ad lucem immortalem aſpectus aperit viam.



Idem ex Græco.

QVAE Mare, quæ terras pernici tranſuolat ala,
Quam mirè celebrans te pia fama canit!
Quis, Leo, promeritæ decoret te laudis honore,
Cui, tibi conceſſum, non ſit in ore decus?
Reddidit exciſam Superum tibi gratia linguam,
Et diſcerpta ſimul lumina reſtituit.
Denique mortalis præcludit luminis vſum
Falce ſecans vitam mors tenebroſa breuem:
Sed tibi diuinum dextra radiante perennis
Lucis ad aſpectum Gloria pandit iter.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΙΑΝΟΥ ΕΙΚΟΝΑ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

IN SANCTI SEBASTIANI IMAGINEM

EPIGRAMMA.

Δεσμωθέντα βέλη πρόμαχον Χριστοῦ διαπείρει,
Deuinctum ſagittæ propugnatorem Chriſti tranſfigunt,

Ὃν μὴ ζῶντα γραφεὺς, μήτε θανόντα γράφεν.
Quem neque viuentem pictor, neque mortuum pinxit.

Ζῶν μὲν ἔτ' ἀθρέομεν, νεκρὸν δὲ φοβούμεθα πίπτειν,
Viuere quidem adhuc videmus, mortuum verò timemus cadere:

Καὶ μέγα δειν' ἡμῖν τραύματ' ἐνῶρσε πάθος.
Et magnam grauia nobis vulnera excitarunt commiſerationem.

Ἔμπαγε τραυματίου ἐπιλεύσσετον ἀστέρας ὄσσε,
Attamen ſauciati ſuſpiciunt ſtellas oculi,

Καὶ στόμα μὲν χαῖνον λισσομένου δοκέει.
Et os quidem hians precantis videtur:

Οὐκ ἔξεστι τέχνῃ φωνὴν ἀπὸ χρώματι δεῖξαι,

Non licet arti vocem colore exprimere,

Νοῦς δὲ γραφέντα βλέπει χείλεα τοῦτο λέγειν.

Mens autem picta videt labia hoc dicere.

Ἅμμα λῦσον, ψυχὴ γὰρ ἐμὴ μεμαυῖα φέρεσθαι,

Nexum ſolue, anima enim mea fuit deſiderans ferri

Ὡς ἔλαφος διψῶν πίδακα πρὸς σὲ Θεός.

Vt ceruus ſitiens fontem ad te DEVS

Idem ex Gręco.

DEPICTVS Chriſti miles, quem ſpicula figunt,
Os nequè viuentis, nec morientis habet.
Ne cadat expirans metuis, quem viuere cernis,
Teq́; pio ſenſu vulnera ſæua cient:
Sed placidè, quamquam ſic ſaucius, inſpicit aſtra,
Dum labra ſuppliciter more precantis hiant:
Non datur artifici vocem depingere: pinxit
Hunc tamen, vt credas talia verba loqui.
Vincula ſolue: tuum IESV ſitit anxia viſum
Mens mea, ceù fontis Ceruus anhelus aquam.

ΕΙΣ ΤΟ ΤΩΝ ΓΥΝΑΙΚΩΝ ΚΑΛΛΟΠΙΣΜΑ

ΤΟ ΚΑΤΕΨΗΦΙΣΜΕΝΟΝ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

IN ORNATVM MVLIERVM

DAMNATVM

EPIGRAMMA.

Αὐχένα μὲν, τί λίθοις κοσμεῖς φυκοῦσα παρειάς,
Collum quid gemmis ornas fucans genas;
Εὐώδη τε κόμαις τὴν δρόσον ἀμφιχέεις;
Beneque odoratum comis rorem circunfundis?
Ταῖς ἀρεταῖς ψυχὴν, οὐκ ὦπ' ἐκφαίδρυνε μίλτῳ
Virtutibus animum, non faciem exorna minio
Ὦ ζητοῦσα κόρη γνήσιον ἀνδρὸς ἔρον.
O quærens Virgo legitimum viri amorem.
Ὡς εὖ συγγενικῷ πυῤῥίζει χρώματι μῆλα;
Vt pulchrè natiuo rutilant colore mala!
Ἤ κεν χρωστῆρος χεῖρα ποθεῖ τὸ ῥόδον;
Quid pictoris manum deſiderat Roſa?

Κόσμον ἄφες μαλακὸν, φῦκός τ' ἀπόβαλλε προσώπου
Ornatum dimitte mollem, fucumque proijce faciei
Μεῖζον ἔχει φίλτρον κάλλος ἀτεχνότερον.
Maius habet philtrum pulchritudo inartificioſior.

Idem ex Grę̨co.

QVID pulchram medicas faciem, collumq; lapillis
Cingis, & effuſo ſpargis odore comam?
Non minio malas, animum virtutibus orna,
Quæ cupis ò Virgo nupta placere viro.
Aſpice, natiuo rutilant vt poma rubore!
An Roſa pingentis pollicis optat opus?
Mitte ſuperuacuos cultus, fucumq; genarum:
Acrior eſt illex, qui caret arte, decor.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ

ΤΟΥ ΟΔΥΣΣΕΩΣ

ΤΟΥ ΑΛΔΟΒΡΑΝΔΟΥ

ΒΙΒΛΩΝ

ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ ΕΡΜΑΘΗΝΗΣ ΤΗΣ ΤΩΝ
θαυμαστῶν πραγμάτων βριθούσης, τῆς φύσεως

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

DE

VLYSSIS

ALDOBRANDI

LIBRIS

EIVSQVE HERMATHENA
Rebus mirabilibus naturæ referta.

EPIGRAMMA.

Ο ΥΚ Ἀλδοβράνδον ποιεῖ, ξένε, γνώριμον εἰκὼν
Non Aldobrandum facit, hoſpes, cognitum imago

Σοὶ μόνον, ἀλλὰ βίβλον, καὶ δόμον ἐστὶν ὁρᾶν.
Tibi ſolum, ſed librum, & domum eſt videre.

Ποικίλα δ' ποθέεις ἴδμεν βλαστήματα γαίης,
Varia ſi cupis' noſſe germina terræ,

Χερσαίων, πτηνῶν, νηχομένων τε γένος.
Terreſtrium, volatilium, natantiumque genus;

Βίβλον ἄνοιγε, βλέπεις κόσμου κειμήλια. λάμπει
Librum aperi, videre poteris mundi cimelia. fulget
Ἀνδρὸς ἐκεῖ σοφίη, μέτριος ὧδε βίος.
Viri ibi ſapientia, modeſta hic vita.
Ζηλωτὸς βίος, ἐν πενιχρῷ γὰρ πλοῦτος οἴκῳ
Felix vita; in paupere enim diues domo
Παγγενετείρας ἦν τῆς φύσεως ταμίας.
Omnigenæ erat naturæ diſpenſator.

Idem ex Gręco.

NON Aldobrandum noſces ab imagine ſolum;
Attentè librum perlege, cerne domum.
Si diuerſa cupis dignoſcere germina Terræ,
Terrigenùm, Volucrum, Squamigerùmq; genus;
Hoc opus euoluas: Mundi patet ampla ſupellex,
Ingeniumque ſagax, menſq; modeſta viri.
Vir felix: tecto clauſit ſub paupere, diues
Naturæ cuſtos quas reſerauit opes.

ΔΙΣΤΙΧΟΝ ΑΥΣΟΝΙΟΥ

ΕΛΛΗΝΙΣΤΙ ΜΕΤΑΦΡΑΣΘΕΝ.

DISTICHON AVSONII

GRAECE TRANSLATVM.

INFELIX Dido nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

ΟΥΔΕΝΙ εὖ ἀνδρῶν ἐγαμήθης δύσμορε Διδώ:
Nulli bene virorum nupta es infelix Dido:
Τοῦ φύγες ἐν θανάτῳ, τοῦ δὲ φυγῇ ἔθανες.
Illius fugiſti in morte, huius in fuga mortua es.

ΕΙΣ ΤΟ ΡΟΔΟΝ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

IN ROSAM

EPIGRAMMA.

ΕΜΦΥΤΟΝ ἐκπροχέον πλοῦτον, καὶ νήδυμον ὀσμὴν,

Ingenitas effundentem opes, & ſuauem odorem,

Ὄμμασι πορφυρέῳ χρώματι χάρμα φέρον,

Oculis purpureo colore gaudium ferentem,

Ἀγλαΐαν πεδίου, πάντων κλέος ἔξοχον ἀνθῶν,

Pulchritudinem agri, omnium gloriam excellentem florum,

Ἀνθηροῦ τ' ἔαρος κόσμον, ἔρον τε κορῶν:

Floridi veris ornamentum, amoremque puellarum:

Ὀξυτάτων τὸ ῥόδον φρουρᾷ περιέφραξεν ἀκανθῶν,

Acutiſſimarum Roſam cuſtodia circum ſepſit ſpinarum,

Φίλτατον ὡς ἔργον ζηλοτυποῦσα φύσις.

Amatiſſimum tamquam opus zelotypa natura.

Καὶ τάχα τῷ φύλακας παρέφυσεν, θῆκέ θ' ἁλουργὸν

Ac forſan huic cuſtodes adgenerauit, appoſuitq. purpuream

Ἄνθεσι βουλομένη τὴν βασιλῆα νέμειν.

Floribus volens Reginam tribuere.

Ὀλ-

Ὀλβίζεις ὅπλοις ἀρχὸν φρουρούμενον; αὐθεῖ

Beatum prædicas armis Principem vallatum? Floret

Ὡς ῥόδον, ἀμφοτέρων κῦδος ἐφημέριον.

Vt Roſa, amborum gloria vnius diei.

Idem ex Græco.

INGENITAS quæ pandit opes, & odore ſuperbit,
Atque oculos oſtro muricis exhilarat:
Camporum iubar eximium, Iuuenumq́; voluptas,
Inſignis florum gloria, veris honor:
Spinarum natura Roſam munimine cinxit,
Vt rem, cuius amor ſollicitum cor habet.
Forſan & hanc poſitis cuſtodibus induit oſtro,
Vtpote Reginam floribus eſſe velit.
Vt felix colitur ſeptus Rex milite? floret
Ceu Roſa, vtriq; rapit, quæ dedit hora decus.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΛΛΗΝΙΚΗΝ ΓΛΩΤΤΑΝ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

IN LINGVAM GRAECAM

EPIGRAMMA.

ΟΣΤΙΣ δερκόμενος γλώττης ἑλληνίδος οὖθαρ,

Quiſquis aſpiciens linguæ Græcæ vbertatem,

Καὶ πλοῦτον, καλῶς εἶπεν ἂν Ὠκεανόν.

Et opes, bene dixerit Oceanum.

Μάργαρα πολλὰ βαθὺς συγκρύπτει κύμασι πόντος,

Margaritas multas profundum occulit vndis mare,

Οὐ κεῖν' ὄκνος ὅμως, ἀλλὰ παρεῖλκε πόνος.

Non illas ſegnities tamen, ſed extraxit labor.

Τίμιον οὐδὲν ἄνευ τούτου καὶ νήδυμον, ὄντος

Pretioſum nihil ſine hoc, & ſuaue, exiſtente


Καίπερ ἄγαν πικροῦ, μηδὲν ἔχουσι βροτοί.

Quamuis valde amaro, nihil habent mortales.

Idem

Idem ex græco.

COGNITA cui Græca diues ſit copia linguæ,
Hanc meritò vaſtum dixerit Oceanum.
Concharum nitidos fœtus maris occulit vnda,
Quas non ſegnities, extrahit arte labor:
Hoc ſine mortales, quamquam ſit amarus, habere
Dulce nihil poſſunt, eximiumq́ue nihil.




AD CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

LEVAMEN PODAGRAE.

ODe Horatiana dicolos tetraſtrophos, ex quatuor in vnaquaque ſtropha verſibus: quorum primi tres Sapphici ſimplici terminantur Adonio.



Troch — ∪	Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch — ∪
Troch — ∪	Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪
Troch. — ∪	Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪
Dactyl. — ∪ ∪	Spond. — —			




SIRIVS ſæuit canis, æſtuanſque
Contrahit puros fluuius liquores,
Et decus prati moritur, ſiletque
Spiritus auræ.
Stridulo tantùm ſonitu cicada
Obſtrepens aures ferit, ò leuamen,

O quies

O quies ægræ lyra blanda mentis,
Incipe carmen,
Quod grauem pellat ſtrepitum, leuetque
Principem curis. Age blandientes
Dic modos, mentis quibus excitetur
Vera voluptas.
Pelle mœrorem: recrea iacentes
Spiritus, qui deficiunt ob æſtum:
Languet, heu, Clemens, geminoque tactus
Vritur æſtu.
Gliſcit in neruis dolor, & per artus
Igneus ſerpit vapor: affer ægro
Dulce lenimen: rege tu canenti
Pieri vocem:
Tempera chordas, ferat vt ſalutem
Cantus optatam, rapidas quod olim
Sit melos doctæ Citharæ moratum
Fluminis vndas;
Saxa commorit, rigidas & ornos:
Flexerit diros animos Auerni,


Et fores Orci reſerarit, eſto
Fabula vatum.
Cùm venenatus ciet icta morſus
Membra, non mendax memoret Tarentum,
Vt queat dulcis ſonitus malignum
Pellere virus.




AD PETRVM CARDINALEM ALDOBRANDINVM

FERRARIA RECEPTA.

ODe tricolos tetraſtrophos vnaquaque ſtropha tria genera verſuum, & verſus quatuor amplexa, primos duos Alcæi Dactylicos, tertium verò Iambicum dimetrum hypercatalecticum, & quartum Heroicotrochaicum.



Spond. — —	Iamb ∪ —	Cæſ. —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪
Spond. — —	Iamb. ∪ —	Cæſ. —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪
Spond. — —	Iamb. ∪ —	Spond. — —	Iamb. ∪ —	Cæſ. —
Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪	



INSANIENTI cum quatit impetu
Pagos, & Urbes concitus effera
Mars ſæuus ira, quæ tumultu,
Quæue truci vacat ora cæde?
Confoſſa paſſim membra, cadauera

Aggeſta, prædas, damna, ſine incolis
Domos ruentes, & cruoris
Flumine humum videas natantem.
Deſolat agros horrida vaſtitas:
Ac tecta captarum ignibus vrbium
Incenſa fumant, & triumphis
Pœne ſuis gemit ipſe victor.
Teſtis tot eheu Gallia cladibus
Funeſta, teſtis Belgica lugubri
Vexata gens bello, tot annos
Se lanians ſibi diſſidentem.
Ferrarienſes, inclyta Ciuitas
Te clade nulla, te ſine prælio
Videre Victorem, tuoque
Petre frui cupiere vultu.
Vt, cui ſalutem, pacis & otium
Debere norant, gaudia pectore
Concepta præferrent: Iuuentus
Nobilium, populique turba
Effuſa portis vndique confluit:

Te ſpectat vnum, dum tua dextera
Protenſa format fauſta ſacra
Signa Crucis, Tyrioq; fulges
Inſignis oſtro: compita plauſibus
Sonant; ab altis mœnibus ærea
Tormenta, iam conuerſa in vſum
Lætitiæ, geminant fragorem.
Vt fama primum, rem tibi proſperè
Ceſſiſſe lata eſt, gaudia neſcius
Celare, ſub lapſu ſilenti
Seruitij quaſi vincla, pontem
Excuſſit, alto gurgite liberas
In æquor vndas Eridanus ferens.
O fauſta lux Romæ, quotannis
Inſolito recolenda plauſu.
Dum lecta Mauors inſtruit agmina
Vtrinque; nullis fallitur artibus
Tentata mens Patris ſupremi,
Propoſitiq; tenax, & omnis
Terroris expers audet, & acriter

Conſtans Auerni deuouet ignibus
Rite execrandum mentis hoſtem
Heu nimium male pertinacis.
Tu iuſſus Euris ocyor arripis
Iter, phalanges cogis, & expedis
Tormenta, quæ demoliendis
Arcibus exitium minantur.
Mox alta virtus ſe tua militi
Oſtendit, & diffunditur hoſtibus,
Tu mitis affatu, ſagaci
Conſilio, placidoq; vultu
Ferrarienſes concilias tibi.
Hinc hæret anceps Cæſar, & inſcius
Cui fidat, armis Vaticanum
Depoſitis colit., & veretur.
Nil laudis huius machina præripit
Flammis triſulci fulminis æmula,
Nil arma, nil aggeſta tellus,
Nil equitum, peditumque turmæ,
Ducumq; Virtus: Hæc tibi gloria

Debe-

Debetur vni, quam neque deterat
Obliuioſi curſus æui, aut
Ponè ſequens nebulis obumbret
Naſcentis atrox hoſtis adoreæ
Liuor: futuri non ope temporis,
Vtcumque nubes diſſiparis.
Auſonias volitans per Vrbes
Te fama, laudes te canit in tuas
Effuſa præſens, atque perennibus
Faſtis ſacrat. Quem ætas honorem
Poſtera pro meritis rependet?
Lux ò latini Nominis, hoſtium
O terror, ò ſpes vnica Thybridis
Inuicte Princeps, ò coruſcum
Purpurei columen Senatus.

AD FRANCISCVM CAROLI FRATRIS FILIVM

Exhortatio ad virtutem.

ODe tricolos tetraſtrophos, genere numeroq; verſuum in ſtrophis ſingulis eadem priori.

INGRESSE pubis limina lubricis
Calcanda plantis, ſe tibi ſemita
Decliuis offert, & doloſo
Pandit iter maleſida ductu,
Franciſce, fratris germen amabile,
Ob quem ſub imo condita pectore
Me cura mordet, detinetque
Sollicitum Genitoris inſtar:

Subſiſte mecum, nec graue duxeris,
Hinc ex amœna, qua patet, orbita
Ductore me flectens adire
Per ſalebras Heliconis Antrum.
Huc nate greſſus: hìc licet aureo
Phœbi cientis pectine muſicas
Audire chordas, dum canentes
Dulce melos ſociant Camœnæ.
Hic multiformi carmine barbitos
Eburna Parcas ſopit, & eripit
Heroas Orco, quos perenni
Fonte beat comitata Virtus.
Huic obſecutum conſpicis inclytum
In collis almo vertice Theſea,
Quem flexuoſis non fefellit
Tramitibus fabricatus error.
Sic vectus altum per mare ſubdolos
Cantus Vlyſſes dicitur integer
Audiſſe: ſic vitaſſe Circes
Pocula, lethiferas & herbas:

Spectandus hic contemptor anhelitus
Spirantis ignem, diuite velleris
Præda coruſcat, luctuoſus
Meſſor agri grauis ære, & haſtis.
Confiſta Prœto crimina deferens
Coniux necari quem petit, innocens
Hos inter excellit triformis
Bellerophon domitor Chimæræ.
Phœbea laurus frondibus allicit,
Dulcique paſcit nectare Pegaſus:
At noſſe vim nobis negatur
Melle ſub Aonio latentem.
Senſus recludet Cynthius abditos,
Audi canentem: Quem fouet aurea
Virtus in vlnis, ille monſtris
Victor ouat domitis beatus.
Non hunc voluptas mollit, & impetus
Non vincit ira, quæ violentiùs
Succis, & herbis in ferarum
Terga viros, & in ora vertunt.

Ut ecce plaudit Caſtalidum chorus,
Phœbique concors carmina concinit!
Hìc ſiſte rurſum, me petente
Sacra refert tibi verba Chiron.

Incompta quondam, claraque ſimplici
Nitore formæ talibus Herculem eſt
Affata Virtus, dum procaci
Blanda ſono loquitur Voluptas.

Hæc ſumptuoſo tegmine turgida,
Pexoque mollis crine, micantibus
Ornata gemmis, appetenda
Sub ſpecie, male caute puber,

Edocta fraudes nectere fraudibus
Te ducit, atris quà ſcatet anguibus,
Dum flore vernans ſe terendam
Perfacili via prona greſſu

Oſtentat: umbras frondibus explicat
Hìc arbor, ales dum canit; ah fuge
Quæ poma pendent, quoſq; vitis
Fert grauidis latices racemis.

Hæc pulchra viſu poma necem ferunt :
Hæc, quæ renidet, lumina decipit;
Lethale nam laruata virus
Purpureo tegit vua ſucco.
Si me ſequèris per loca ſentibus
Infeſta, teſquis horrida, per niues,
Per ſaxa, per montis cacumen,
Sternet iter tibi ferrum, & ignis.
Vrèris æſtu, puluere ſordidus
Pulchro, madebis tempora nobili
Sudore, non fractus labore, &
Magnanimo generoſus auſu.
Euectus alis hiſce per Æthera
Tranabis ignem, & lactis iter pede
Premens, coruſcanti micabis
Luce nouum decus inter aſtra.

AD R. P. ANTONIVM BARBERINVM FRATREM AMANTISSIMVM

Ex debellato corpore mentem in Cælum rapi.

ODe dicolos diſtrophos inter Horatianos Epodos, ex heroico exametro, & iambico dimetro conſtans.

Dactyl.	Spond.	Dactyl.	Spond.	Dactyl.	Spond.
— ◡ ◡	— —	— ◡ ◡	— —	— ◡ ◡	— —

Spond.	Iamb.	Spond.	Iamb.
— —	◡ —	— —	◡ —

PARS hominis deducta putri Telluris ab aluo,
Cœlique ſemen ſpiritus:
Dum ſocijs hærent vincti compagibus, arma
Iugi duello conſerunt.
Quiſquis ab illecebris terræ ſe lumine mentis
Conuertit ad cæleſtia,

Opprimit Antæi robur, ſuperatque lacertis
Alter dolos Tyrinthius.
Filia Caſſiopes nudato corpore, ſæuis
Obiecta Ceti faucibus
Dum gemit, & Cælum lacrymanti ſuſpicit ore,
Adeſſe cernit Perſea,
Seque neci raptam: dono mox Palladis inter
Coruſca fulget ſydera.
Herbida dum comites inter per prata vagatur,
Floreſque prona colligit,
Solis ab aſpectu Plutonis rapta quadrigis
Orcum ſubit Proſerpina.
Quis neget è nebulis radium ſplendeſcere lucis?
Non ſacra ſolum Pagina
Diſiectis ducit tenebris Virtutis ad AEdem:
Sed rima lucis ignea
Pieriјs vmbras inter ſe prodit ab antris,
Regens pedum veſtigia:
Affluit, & variјs riuis cæleſtis in omnes
Mentes redundat Veritas.

Hac duce, cui decorant diuino munere palmas
Verenda IESV ſtigmata,
FRANCISCVS nudis pedibus vilique lacerna
Indutus, abdito in ſpecu
Omnia quæ blanda proponit fronte voluptas,
Vanumque faſtum deſpicit.
Commoda non optat vitæ, ſub graminis herba
Anguem latere conſcius:
Languida feſſus humi declinat membra ſopori,
Famemque pomis eximit:
Fonte ſitim ſedat, neque nectaris expetit hauſtus,
Mentique corpus ſubiugans
Pauperiem colit, & lamnis hanc diuitis auri,
Gemmiſq; præfert Indicis:
Ac veluti Sampſon dulces ex ore perempti
Leonis accipit fauos.
Nam quali mentem paſcit dulcedine, donec
Intentus aſtra reſpicit,
Et noctu vigilans animi ſublatus ab alis
Choris beatis intereſt!


Antoni germane, ſacram qui paupere cultu
Sectare FRANCISCI viam,
Quam celebrant omnes, felicem ducere vitam
Non omnibus conceditur:
Se proba paupertas animis ſine dote maritat
Veras opes amantibus.

AD CAROLVM FRATREM ΦΙΛΑΥΤΙΑ FVGIENDA.

ODe tricolos tetraſtrophos ex quatuor in ſtropha verſibus Alcæi Dactylico geminato, Iambico dimetro hypercatalectico, & Heroicotrochaico.



Spond — —	Iamb. ᴗ —	Cæſ. —	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Dactyl. — ᴗ ᴗ
Spond. — —	Iamb. ᴗ —	Cæſ. —	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Dactyl. — ᴗ ᴗ
Spond. — —	Iamb. ᴗ —	Spond. — —	Iamb ᴗ —	Cæſ. —
Dactyl. — ᴗ ᴗ	Dactyl. — ᴗ ᴗ	Troch. — ᴗ	Troch. — ᴗ	



QVAM pulchra blandè ſenſibus ingerunt
Externa noſtris ſe bona! Purpura

Qui fulgor! vt formoſa pandit
Virgineum facies decorem!
Vt ardet auri ſplendor amabilis!
Vt ridet Aulæ gratia Regiæ!
Quot luxus indutus figuras
Attonitum trahit ore vulgus!
Proh quis latentis ſemina toxici
Non hauſit imo corde! Cupidinis
Heu febre iactati proteruè
Tantalicis inhiamus vndis.
Heu quiſque rurſus, cui placidus fugam
Siſtens, bibendum ſe liquor exhibet,
In fontis eluſus nitore
Effigiem ſequitur fugacem
Narciſſus alter: cæcus amor ſui
Vt obruit vim mentibus inſitam!
Vt fertur excuſſis habenis,
Libera quò rapuit voluntas!
Vt perdit omnes! ſæpe, quod expedit,
Humana neſcit cura capeſſere:

Intenta iucundis canorum
Imbibit Aonidum leporem, &
Non percipit, ſeu negligit aurea
Quæ ſenſa Pindus nectare condidit.
O tè beatam, cui ſupremi
SAMMARIÆ mulier Magiſtri
Audire vocem contigit. Hydriæ
Oblita, lympham non cupis ampliùs,
Quæ pota non ſedat, ſed auget
Lethiferum ſitientis æſtum.
Hæc frater æquis CAROLE moribus
Imbuta Proles audiat: integra
Nil mente maius, pars paternæ
Sortis erit ſatis ampla, Virtus.

PAX
ALLOBROGICA.

ODe Horatiana tricolos tetraſtrophos ex Alcaico duplici, Iambico dimetro hypercatalectico ſimplici, ſimpliciq; Heroicotrochaico, quorum ſchema datum eſt ſupra.

MENTIS verendum non acie minùs,
Quàm bellicoſi robore militis,
Quem nuper excepit ſuperbo
Maximus Eridanus Triumpho:
Formoſa pennis quem ſuper aureis
Vexit profundum trans mare Gloria,
Alpeſque, terrarumq; tractus
Præpete tranſiliens volatu:
En pace parta Petrus ab exteris
Oris reuertens, eximit Italis
Belli timores, & cupitam
Auſoniæ ſtatuit quietem.

En Roma curas pellit, & explicat
Frontem ſerenam: ſic maris æquora
Cedente vento conquieſcunt,
Tale nitet ſine nube Cælum.
Pendebat anceps mentis, & anxius
Clemens futuri, concita dum graui
Europa bellorum tumultu
Perniciem pauet imminentem.
Quid moliatur? quid paret? inſtruit
Te Petre iuſſis, mittit & arduis
In rebus expertus ſagacem:
Tu Rhodani celeres ad vndas,
Summi capeſſens grandia Principis
Mandata, tendis quà violentior
Martis recrudeſcit furentis
Ira, nouas paritura clades.
Non te rapacis fluminis impetus,
Non ater imber, non iuga montium,
Niueſque concretæ, nec Auſter
Turbine præcipiti morantur.

Te mille votis, te prece proſequi
Non ceſſat altrix Roma, per Inſubrum
Fines agrorum tranſeuntem, &
Allobrogum gelidas per Alpes.
Intenta fixo Gallia lumine
Te ſpectat, & quas auribus hauſerat
Mirata, virtutes in ipſa
Fronte legit, meritaſque laudes.
Mox, qui feroces contudit hoſtium
Turmas, nec acris ceſſit Iberiæ
Henricus armis, efficaci
Eloquio tua ſe trahenti
In vota cedit, cedit & Allobrox,
Quem fronte ſæua non potuit minax
Terrere Mauors, annuitque
Heſperiæ Dominator oræ.
Vt corda Regum flectis ahenea,
Grauique mulces bile tumentia!
En Roma toto geſtientem
Pectore lætitiam profundens,

Dum

Dum te per Vrbem non ſine plauſibus
Ad Vaticanum purpureus Patrum
Deducit ordo, quid meorum
Maxima pars decorum, quid, inquit,
Probata virtus, ſit licet arduum,
Non ad ſecundum duxerit exitum?
Quo te reuertentem triumpho,
Qua decorem tua facta pompa?
Non, qui procaci garrulus obſtrepat
Clamore circum milite cingeris;
Delata non viſuntur vrbes
Quæ referant ſimulacra victas.
At quiſque narrat, quam tibi gloriam
Addunt inermi Gallus, & Italus,
Genteſque, & Vrbes, quas Philippus
Conſilio moderatur æquo.
Non hic ſonantem compede Perſea,
Non hic Iugurtham carceris obſitum
Squalore, non pulſum paterno
De ſolio video Syphacem.

Veſana ſed Diſcordia ducitur,
Quæ ſciſſa pallam, vinctaque ferrea
Nexu catenæ, claudicanti
Membra trahit propè nuda greſſu.
Poſt hanc recenti ſanguine ſordidum,
Et crine cano fert Odium pedem,
Dolenſq; ſe loris reuinctum,
Dente manus lacerat cruentas.
Hinc Terror, atro corpore luridas
Diſcerptus alas progreditur, face
Subfultus extincta, nec amens
Liuor abeſt, fera cui ceraſtes
Cor paſcit; illum filia temporis
Velata puro tegmine Veritas
Vultu reluctantem proteruo
Subſequitur, quatiens flagellum.

IN OPVS ROBERTI BELLARMINI S.R.E. CARDINALIS

De aſcenſione mentis in Deum.

NEC TVRRI BABYLONIA
Nec montibus Gigantum, ſed Scala Iacob,
& Caroli Boromæi veſtigijs, & Bel-
larmini gradibus Cælum peti.

ODe tricolos tetraſtrophos Alcæi Dactylicis duobus Iambicum dimetrum hypercatalecticum, & Heroicotrochaicum adiungens: eius ſchema idem, quod ſupra.

SVMMI decora dum ſpecie boni
Hinc inde raptas diſtrahit inquies
Mortalium mentes, negatum
Struxit iter maleſana, frontem

Turris minacem nubibus inferens,
Mox præpotentis vi Sapientiæ
Confuſa diuerſum ſonante
Eloquio ſtupidos repente
Hærere fabros vidit, & irritis
Cæmenta votis vndique congeri.
Tunc Fama protendens volatum,
Quà celebris rigat vnda Cirrham
Sub fronde lauri nuncia ſubſtitit:
Hinc fabuloſis vera coloribus
Depicta promens, in Tonantis
Imperium Iouis irruentes
Inſanienti robore Pelion
Titanas Oſſæ imponere detulit,
Auſuque conatos proteruo
Scandere ſydereas ad arces:
Aſt interemptos vindice fulminis
Flamma, ſolutis in cinerem artubus
(Eſſent vt exemplar ſuperbis)
Ludibrium iacuiſſe ventis:

Proh

Proh quanta denſis nox tenebris premit
Mortale pectus! diuitis hunc Tagi
Non explet amnis, fartus ille
Delicijs animum fatigat:
Hunc forma curis angit inanibus:
Quot pulchra fuco purpura faſcinat!
Quid? non ne poſtquam quiſque montes
Montibus intulerit, fatiſcet?
Tutum beatæ ſortis iter pede
Venaris? aui deſpice commoda
Præſentis, & clauſis fugaces
Illecebras oculis tuere.
Sopita ſomno lumina clauſerat,
Cùm vidit olim filius Iſaci
Vt ſcala ſe tollens ab imo
Aligerùm via trita plantis
Suprema Cæli ſydera tangeret:
Huc non ne curru raptus ab igneo
Abiecit Helias amictum?
Pone graues animi tumultus,

Huc pura mentis lumina dirige:
Scalam recludit rebus in omnibus
Pulſis Belarminus tenebris,
Quæ gradibus ſuper aſtra tendit.
Dux ille per veſtigia CAROLI,
Cui vota fundit, quem decus Inſubrum
Miratur Orbis, quem Senatus
Roma ſacrum veneratur aſtrum.


AD IOANNEM CIAMPOLVM

Eius erga virtutem ſtudium laudat.

ODe dicolos tetraſtrophos ſapphicos in vnaquaque ſtropha ternos Adonio extremo concludens.



Troch. — ∪	Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪
Troch. — ∪	Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪
Troch. — ∪	Spond. — —	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch. — ∪
Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪			



AVREO Virtus ſolio decora
Regnat, & regnum neque Gangis vnda,
Nec Maris tractus poſitis columnis,
Ciampole claudit.

Hæc inextinctis radijs parentem
Imbrium nubem; tenebraſque noctis
Negligit, miros & amoris ignes
Excitat ore.

Hac datum viſa ſemel ante pomum
Palladis formæ Paris annuiſſet,
Nec feris ſedes Priami iaceret
Diruta flammis.

Sat ſuo cenſu ſibi diues, extra
Se nihil Virtus cupit: *hæc vel hoſtes*
Placat iratos, ſociaſque nectit
Compede mentes.

Quem tot armatis pepuliſſe turmis
Romulum robur nequit, hæc peruſta
Vnius dextra potis eſt Etruſcum
Pellere Regem.

Quem truci pugnax Acies Quiritum
Marte non fregit, potuit minacem
Huius aſpectus ſcelus abnuentis
Flectere Pyrrhum.

Hanc colit Pindi chorus, Hippocrenes
Phœbus hanc lymphis alit, vt perenne
Laureis frontem redimita ſertis
Viuat in æuum.

Mille poſt anni rapidos recurſus
Delio quamuis iaculo peremptus,
Pegaſi ſacra rediuiuus vnda
Teſtis Achilles.

Fallor? an Cyrrhæ comitata cœtu
Palladis ductu tibi ſe videndam
Exhibet Virtus? viden vt coruſcat
Pulchrior aſtro?

Simplici prodit placitura cultu,
Nec genas ornat minio, nec auro
Impedit crines, cupiens oliuæ
Nectere laurum.

Abſit hinc coniux Iouis, & Cythere:
Carmen exultim ſonipes tubarum
Excipit, mentem tibi ſola mulcet
Inclyta Virtus.

AD
IO. BAPTISTAM
STROZZAM
EIVS LAVDAT ANIMVM
AEternitatis inhiantem bonis, & humana faſtidientem.

ODe tricolos tetraſtrophos, ex Alcæi Dactylico gemino, ſimplicique Iambico dimetro hypercatalectico, & Heroicotrochaico.



Spond. — —	Iamb. ∪ —	Cæſ. —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪
Spond. — —	Iamb. ∪ —	Cæſ. —	Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪
Spond. — —	Iamb. ∪ —	Spond. — —	Iamb. ∪ —	Cæſ. —
Dactyl. — ∪ ∪	Dactyl. — ∪ ∪	Troch. — ∪	Troch — ∪	



CVRIS ſolutum ruris in otio
Dudum beatam degere credidi

Te Strozza vitam, dum canentem
Tuſcia te coleret, tuumque
Inferret aſtris nomen; & aureo
Dum te cientem pectine dædalas
Teſtudinis chordas, ſilenti
Obſtupuit pater Arnus vnda.
At nunc videris iure beatior,
Qui pura ſolùm gaudia Cælitum
Reris. quid in terris rotamus
Siſyphio lapidem labore?
Nil vſque gratum, nec ſatias faui
Dulcem liquorem deficit: abditam
In rebus humanis vel ipſa
Miſcet amaritiem voluptas.
Inuecta curru candida ſi præit
Aurora, Solis ſubſequitur iubar
Nox atra: naſcentem tuere,
Quæ vario micat ore, Lunam:
Pars vna lumen fundit, & altera
Vmbrata mœret, nec vaga terminos

Vmbræ coarctat lux, coruſcum
Exerat, aut retrahat nitorem.
Fruſtra quietem quærimus anxij
Dum Terra Cæli nos tenet exules.
Quid cœna regali paratu
Prodiga, Sidoniuſque murex,
Quid ſtructa prodeſt marmore Regia,
Seu quidquid auri congerit India?
Quod nuper aſciuit cupitum,
Mox animus fugiet peroſus.
Quem ſæpe victis hoſtibus inclyto
Romam triumpho viderat inuehi,
Oſtroque præfulgentem, & auro,
Dalmaticis Dioclen in hortis:
Faſtidientem mœnia Romuli
Vidit iuuentus Martia Thybridis,
Mirata priuatum ſuperbos
Imperij poſuiſſe faſces.

AD GABRIELEM CHIABRERAM

CARMINA VIRTVTI parere immortalitatem.

ODe tricolos tetraſtrophos Dactylico duplici, ſimpliciq; Iambico dimetro hypercatalectico, & Heroicotrochaico ſtrophas abſoluens vti ſuperior.

NON cuſpis enſis, ſceptraque regia,
Non fulgor auri, non gena floribus
Decora pimauis, nec aër
Tuſculus, aut Anienis ora,
Lectoue præſtans rore Calabriæ
Dum vernat arbos, non aqua Cluſÿ,
Quæ manat Hetruſco ſalubris
Fonte, diem volucrem morantur.

Lethalis omnes impetit: omnibus
Immitis æque, forſice qua genus
Mortale funeſtans adurget
Atropos, horribilique vultu.
Quæ penna monſtrum Dædala fugerit?
Vel certa ferro dextra ceciderit
Cruore ceruicem fluentem?
Queue trucem iaculantis arcu
Pythona Phœbi tela peremerint?
Tu laudis œſtro percita, vt alipes
Perſes per auras incruenta
Cæde potes iugulare, Virtus.
Non hinc, vt olim ſanguine Pegaſus
Cretus Meduſæ, Gloria naſcitur
Innixa pennis, quæ volatum
Pandit ab Heſperijs ad Indos.
Hæc vna vates excitat inclytos,
Hæc vna fontem, qui iuga dicitur
Formoſa Parnaſſi rigare, &
Fundere nectareos liquores.

Non

Non vnguis ictu Pegaſus elicit.
Chiabrera teſtis tu mihi: Delio
Nam melle paſcit, recreatque
Ingenij tua vena mentes.
Seu fabuloſi moribus inſeris
Inuenta Pindi, ſeu calamis canis,
Victricis aut plectro labores
Auſoniæ celebras, Duceſque.
Per te nec Aſcræ collibus inuidet
Flores, nec Ætnæ roſcida paſcua
Arnus, nec Iſmeni canorum
In vitreo cupit amne cycnum.
Per te furentem comprimit Africum,
Iraſque Nerei pectine barbitos
Pulſata compeſcit, comeſque
Doridis & Thetidis marinæ.
Pimplea Dircen Muſa Liguſticis
Mutauit vndis, & choreas agit,
Dum curuus in ſalſis canenti
Sternit aquis tibi terga Delphin.

AD FLAMINIVM FIGLIVCCIVM RESPONSIO

Ad laudes ſibi carmine attributas.

ODe tricolos tetraſtrophos addens Alcaicis duobus Iambicum dimetrum hypercatalecticum, & Heroicotrochaicum, quorum ſchema dedimus ſupra.


VT blanda flores floribus implicat
Laudumq; pulchras Gratia carminis
Nectit coronas, quæ perenni
Fronde virent, capiuntq; mentes!
Hæc vera fictis miſcet, & vtraque
Perſuadet æquè: credere Dædali
Iubet volatum, dum per vndas
Carbaſeis veheretur alis:

Sic

Sic fluctuantis per maris æquora
Vectus triremi Bellerophon Equi
Signo decora, per ſupremas
Creditus eſt equitaſſe nubes.
Suadela Thebas condit, & ædibus
Viros vagantes aggregat; attamen
Eſt dictus Amphion eburnæ
Saxa lyræ ſonitu mouere, &
Quocumque vellet ducere; Pindarum,
Phœbi canora dum fide perſonat,
Multaque dum ſublimis aura
Fertur olor, coluere Thebæ.
Tellus paluſtrem me tenet anſerem:
Quid me volantem concinit aſſeclam,
Pindique diffuſa colorat
Laude meum tua Muſa carmen?
Mutæ coruſcans luce Pöëſeos
Viuis Apelles dicitur æmulos
Pinxiſſe vultus: dum loquaces
Pimpla ſuos tibi dat colores,

For-

Formoſiorem pingis imaginem
Figliucce viui corporis inſito
Decore, celatiſq; mendis.
Non ideo minus euiteſcit
Illuſtris almo lumine gloriæ
Ars mira; ſeris quin mea poſteris
Tuos loquetur picta longè
Pulchrior effigies honores.



AD AVRELIVM VRSVM

Alexandros Farneſios, alterum Belli, alterum Pacis artibus inclytum celebrandos proponit.

ODe eadem, quæ ſuperior tricolos tetraſtrophos Alcæi Dactylicis duobus, ſimpliciq; Iambico dimetro hypercatalect. & Heroicotroch. terminans ſtrophas.

IAM ſat decoris marmore fontibus,
Cultis & agris, iam ſatis ædibus
Mirè coloratis, & hortis
Vrſe datum, ſtatuiſq; priſcis.
Te vecta bigis Fama fugacibus,
Pallas ſonanti te ciet Ægide,
Ad arma te Mauors, ad arma
Mæoniæ reuocant Camenæ.

Cur non ſorores carmina muſicæ
Dicant perenni conſona gloriæ?
Quam Dux Alexander, Quiritum
Fulgida lux, Columenq; Parmæ
Rebelle ferri cuſpide Belgium
Subdens, triumphis adÿcit Italis;
Nil arduum vitans, vt aris
Reſtituat veteres honores.
Non terret illum, quæ volat horridis
Hinc, inde pennis plurima cædium.
Globis in ignitis imago,
Seu rapidis ſaliens ab vndis.
Non acer illi Gallus equeſtribus
Turmis, cohortes non Batauæ truci
Mixtæ Britannorum phalangi,
Non validis inimicus agger
Munitus armis, non ratibus mare
Vires adaugens vndiq; prælium
Miſcentium atrox pertinaci
Robore præripuere palmam.

Quam ſæpè duro corpora deferens
Perempta ferro Scaldis inhorruit!
Quam ſæpè Belgarum cruore
Terrifici maduere campi!
Quis cæſa narret millia militum,
Captas & arces? non ego deteram
Exilis incompto paratu
Ingenij, graciliq; auena
Laudes, ſonoræ voce cani tubæ
Dignas. peritus pectine tu lyram
Pulſare Phœbæam, Patremq;
Dicere Farneſium Senatus
Spem Vaticani ſuetus, in vltimas
Telluris oras, & pelagi plagas
Defer per auras vectus alis
Pegaſeis vtriuſq; nomen:
Florente in vno pace, & in altero
Ardente bello, noſtra nepotibus
Proponit ætas, quod capeſſant
Eximium ſpecimen regendi.

ADVLATIO PERNICIOSA.

ODe Horatiana tricolos tetraſtrophos, ex Alcæi Dactylico duplici, ſimplicique Iambico dimetro hypercatalect.& Heroicotroch.conſtans,vti quatuor antecedentes, quarum ſupra datum eſt ſchema.

CVM Luna Cælo fulget, & auream
Pompam ſereno pandit in ambitu
Ignes coruſcantes, voluptas
Mira trahit, retinetq; viſus.
Hic emicantem ſuſpicit Heſperum,
Dirumq; Martis ſydus, & orbitam
Lactis coloratam nitore:
Ille tuam Cynoſura lucem,
Seu Scorpij cor, ſiue Canis facem
Miratur alter, vel Iouis aſſeclas,
Patriſue Saturni, repertos
Docte tuo Galilæe vitro.

At prima Solis cum reſerat diem
Lux orta, puro Gangis ab æquore
Se ſola diffundit, micanſque
Intuitus radijs moratur.
Non vna vitæ ſic ratio genus
Mortale ducens pellicit; horrida
Hic bella per flammas, & enſes
Lætus init, meditans triumphos.
Eſt, pacis ambit qui bonus artibus
Ad clara rerum munia prouehi.
Illum Peruanas ad oras
Egit amor maleſuadus auri.
Hunc, ſumptuoſus dum Siculæ iuuat
Menſæ paratus, ſpes alit alea
Mendacis, ac fundis auitis
Exuit, & laribus paternis.
Nil eſſe Regum ſorte beatius
Mens, & cor æquè concipit omnium,
Quos larua rerum, quos inani
Blanda capit ſpecie cupido.

AD
IO. BAPTISTAM
STROZZAM
EIVS LAVDAT ANIMVM
AEternitatis inhiantem bonis, & humana faſtidientem.

ODe tricolos tetraſtrophos, ex Alcæi Dactylico gemino, ſimplicique Iambico dimetro hypercatalectico, & Heroicotrochaico.

Spond. — —	Iamb. ◡ —	Cæſ. —	Dactyl. — ◡ ◡	Dactyl. — ◡ ◡
Spond. — —	Iamb. ◡ —	Cæſ. —	Dactyl. — ◡ ◡	Dactyl. — ◡ ◡
Spond. — —	Iamb. ◡ —	Spond. — —	Iamb. ◡ —	Cæſ. —
Dactyl. — ◡ ◡	Dactyl. — ◡ ◡	Troch. — ◡	Troch — ◡	

CVRIS ſolutum ruris in otio
Dudum beatam degere credidi

Te Strozza vitam, dum canentem
Tuſcia te coleret, tuumque
Inferret aſtris nomen; & aureo
Dum te cientem pectine dædalas
Teſtudinis chordas, ſilenti
Obſtupuit pater Arnus vnda.
At nunc videris iure beatior,
Qui pura ſolùm gaudia Cælitum
Reris. quid in terris rotamus
Siſyphio lapidem labore?
Nil vſque gratum, nec ſatias faui
Dulcem liquorem deficit: abditam
In rebus humanis vel ipſa
Miſcet amaritiem voluptas.
Inuecta curru candida ſi prait
Aurora, Solis ſubſequitur iubar
Nox atra: naſcentem tuere,
Quæ vario micat ore, Lunam:
Pars vna lumen fundit, & altera
Vmbrata mœret, nec vaga terminos

Vmbra coarctat lux, coruſcum
Exerat, aut retrahat nitorem.
Fruſtra quietem quærimus anxij
Dum Terra Cæli nos tenet exules.
Quid cœna regali paratu
Prodiga, Sidoniuſque murex,
Quid ſtructa prodeſt marmore Regia,
Seu quidquid auri congerit India?
Quod nuper aſciuit cupitum,
Mox animus fugiet peroſus.
Quem ſæpe victis hoſtibus inclyto
Romam triumpho viderat inuehi,
Oſtroque præfulgentem, & auro,
Dalmaticis Dioclen in hortis:
Faſtidientem mœnia Romuli
Vidit iuuentus Martia Thybridis,
Mirata priuatum ſuperbos
Imperij poſuiſſe faſces.

AD GABRIELEM CHIABRERAM

CARMINA VIRTVTI parere immortalitatem.

ODe tricolos tetraſtrophos Dactylico duplici, ſimpliciq; Iambico dimetro hypercatalectico, & Heroicotrochaico ſtrophas abſoluens vti ſuperior.

NON cuſpis enſis, ſceptraque regia,
Non fulgor auri, non gena floribus
Decora pimauis, nec aër
Tuſculus, aut Anienis ora,
Lectoue præſtans rore Calabriæ
Dum vernat arbos, non aqua Cluſij,
Quæ manat Hetruſco ſalubris
Fonte, diem volucrem morantur.

Lethalis omnes impetit: omnibus
Immitis æque, forſice qua genus
Mortale funeſtans adurget
Atropos, horribilique vultu.
Quæ penna monſtrum Dædala fugerit?
Vel certa ferro dextra ceciderit
Cruore ceruicem fluentem?
Queue trucem iaculantis arcu
Pythona Phœbi tela peremerint?
Tu laudis œſtro percita, vt alipes
Perſes per auras incruenta
Cæde potes iugulare, Virtus.
Non hinc, vt olim ſanguine Pegaſus
Cretus Meduſæ, Gloria naſcitur
Innixa pennis, quæ volatum
Pandit ab Heſperijs ad Indos.
Hæc vna vates excitat inclytos,
Hæc vna fontem, qui iuga dicitur
Formoſa Parnaſſi rigare, &
Fundere nectareos liquores.

Non vnguis ictu Pegaſus elicit.
Chiabrera teſtis tu mihi: Delio
Nam melle paſcit, recreatque
Ingenij tua vena mentes.
Seu fabuloſi moribus inſeris
Inuenta Pindi, ſeu calamis canis,
Victricis aut plectro labores
Auſoniæ celebras, Duceſque.
Per te nec Aſcræ collibus inuidet
Flores, nec Ætnæ roſcida paſcua
Arnus, nec Iſmeni canorum
In vitreo cupit amne cycnum.
Per te furentem comprimit Africum,
Iraſque Nerei pectine barbitos
Pulſata compeſcit, comeſque
Doridis & Thetidis marinæ.
Pimplea Dircen Muſa Liguſticis
Mutauit vndis, & choreas agit,
Dum curuus in ſalſis canenti
Sternit aquis tibi terga Delphin.

AD FLAMINIVM FIGLIVCCIVM RESPONSIO

Ad laudes ſibi carmine attributas.


ODe tricolos tetraſtrophos addens Alcaicis duobus Iambicum dimetrum hypercatalecticum, & Heroicotrochaicum, quorum ſchema dedimus ſupra.

VT blanda flores floribus implicat
Laudumq; pulchras Gratia carminis
Nectit coronas, quæ perenni
Fronde virent, capiuntq; mentes!
Hæc vera fictis miſcet, & vtraque
Perſuadet æquè: credere Dædali
Iubet volatum, dum per vndas
Carbaſeis veheretur alis:

Sic fluctuantis per maris æquora
Vectus triremi Bellerophon Equi
Signo decora, per ſupremas
Creditus eſt equitaſſe nubes.
Suadela Thebas condit, & ædibus
Viros vagantes aggregat; attamen
Eſt dictus Amphion eburnæ
Saxa lyræ ſonitu mouere, &
Quocumque vellet ducere; Pindarum,
Phœbi canora dum fide perſonat,
Multaque dum ſublimis aura
Fertur olor, coluere Thebæ.
Tellus paluſtrem me tenet anſerem:
Quid me volantem concinit aſſeclam,
Pindique diffuſa colorat
Laude meum tua Muſa carmen?
Mutæ coruſcans luce Pöeſeos
Viuis Apelles dicitur æmulos
Pinxiſſe vultus: dum loquaces
Pimpla ſuos tibi dat colores,

For-

Formoſiorem pingis imaginem
Figliucce viui corporis inſito
Decore, celatiſq; mendis.
Non ideo minus eniteſcit
Illuſtris almo lumine gloria
Ars mira; ſeris quin mea poſteris
Tuos loquetur picta longè
Pulchrior effigies honores.



AD AVRELIVM VRSVM

Alexandros Farneſios, alterum Belli, alterum Pacis artibus inclytum celebrandos proponit.

ODe eadem, quæ ſuperior tricolos tetraſtrophos Alcæi Dactylicis duobus, ſimpliciq; Iambico dimetro hypercatalect. & Heroicotroch. terminans ſtrophas.

IAM ſat decoris marmore fontibus,
Cultis & agris, iam ſatis ædibus
Mirè coloratis, & hortis
Vrſe datum, ſtatuiſq; priſcis.

Te vecta bigis Fama fugacibus,
Pallas ſonanti te ciet Ægide,
Ad arma te Mauors, ad arma
Mæoniæ reuocant Camenæ.

Cur

Cur non ſorores carmina muſicæ
Dicant perenni conſona gloriæ?
Quam Dux Alexander, Quiritum
Fulgida lux, Columenq; Parmæ
Rebelle ferri cuſpide Belgium
Subdens, triumphis adijcit Italis;
Nil arduum vitans, vt aris
Reſtituat veteres honores.
Non terret illum, quæ volat horridis
Hinc, inde pennis plurima cædium.
Globis in ignitis imago,
Seu rapidis ſaliens ab vndis.
Non acer illi Gallus equeſtribus
Turmis, cohortes non Batauæ truci
Mixtæ Britannorum phalangi,
Non validis inimicus agger
Munitus armis, non ratibus mare
Vires adaugens vndiq; prælium
Miſcentium atrox pertinaci
Robore præripuere palmam.

Quam ſæpè duro corpora deferens
Perempta ferro Scaldis inhorruit!
Quam ſæpè Belgarum cruore
Terrifici maduere campi!
Quis cæſa narret millia militum,
Captas & arces? non ego deteram
Exilis incompto paratu
Ingenij, graciliq; auena
Laudes, ſonora voce cani tuba
Dignas. peritus pectine tu lyram
Pulſare Phœbæam, Patremq;
Dicere Farneſium Senatus
Spem Vaticani ſuetus, in vltimas
Telluris oras, & pelagi plagas
Defer per auras vectus alis
Pegaſeis vtriuſq; nomen:
Florente in vno pace, & in altero
Ardente bello, noſtra nepotibus
Proponit ætas, quod capeſſant
Eximium ſpecimen regendi.

ADVLATIO PERNICIOSA.

ODe Horatiana tricolos tetraſtrophos, ex Alcæi Dactylico duplici, ſimplicique Iambico dimetro hypercatalect.& Heroicotroch.conſtans, vti quatuor antecedentes, quarum ſupra datum eſt ſchema.


CVM Luna Cælo fulget, & auream
Pompam ſereno pandit in ambitu
Ignes coruſcantes, voluptas
Mira trahit, retinetq́ viſus.
Hic emicantem ſuſpicit Heſperum,
Dirumq́ Martis ſydus, & orbitam
Lactis coloratam nitore:
Ille tuam Cynoſura lucem,
Seu Scorpij cor, ſiue Canis facem
Miratur alter, vel Iouis aſſeclas,
Patriſue Saturni, repertos
Docte tuo Galilæe vitro.

At prima Solis cum reſerat diem
Lux orta, puro Gangis ab æquore
Se ſola diffundit, micanſque
Intuitus radijs moratur.
Non vna vitæ ſic ratio genus
Mortale ducens pellicit; horrida
Hic bella per flammas, & enſes
Lætus init, meditans triumphos.
Eſt, pacis ambit qui bonus artibus
Ad clara rerum munia prouehi.
Illum Peruanas ad oras
Egit amor maleſuadus auri.
Hunc, ſumptuoſus dum Siculæ iuuat
Menſæ paratus, ſpes alit aleæ
Mendacis, ac fundis auitis
Exuit, & laribus paternis.
Nil eſſe Regum ſorte beatius
Mens, & cor æquè concipit omnium,
Quos larua rerum, quos inani
Blanda capit ſpecie cupido.

Non ſemper extra quod radiat iubar,
Splendeſcit intra: reſpicimus nigras
In Sole (quis credat?) retectas
Arte tua Galilæe labes.
Sceptri coruſcat gloria Regij
Ornata gemmis; turba ſatellitum
Hinc inde præcedit, colentes
Officijs comites ſequuntur:
Luxu renidet ſplendida, perſonat
Cantu, ſuperbit delicijs Domus:
Sunt arma, ſunt arces, & aurum:
Iuſſa libens populus capeſſit.
At ſi recludas intima, videris
Vt ſæpe curis gaudia ſuſpicax
Mens icta perturbet. Promethei
Haud aliter laniat cor ales.
Cui ſenſa mentis prouidus abdita
Rex credat? aut quos cauerit? omnium
Sincera, ſeu fallax, eodem
Obſequio tegitur voluntas.

Fugit potentum limina Veritas,
Quamquam ſalutis Nuncia. *Nauſeam*
Inuiſa proritat, vel iram:
Sæpe magis iuuat hoſtis hoſtem.
Ictus ſagitta Rex Macedo videt
Non eſſe prolem ſe Iouis. Irrita
Xerxem tumentem ſpe, trecentis
Thermopylæ cohibent ſariſſis:
Docentque fractum clade quid aulici
Sint verba plauſus. Vt nocet, vt placet
Stillans adulatrix latenti
Lingua fauos madidos veneno!
Hæc in theatri puluere barbarum
Infecit atro ſanguine Commodum,
Probriſque fœdauit Neronem, ac
Perdidit illecebris vtrumque.
Artes nocendi mille tegit dolis
Imbuta: quis tam lynceus aſpicit
Quod vitet? Intentus canentis
Mercurij numeris, ſopore

Centena claudens lumina, ſenſibus
Abreptus, aures dum vacuas melos
Demulcet, exemplum peremptus
Exitij graue præbet Argus.



IN TORPOREM ODE.

DIcolos Tetraſtrophos, hoc eſt duplici genere verſuum, & quatuor verſibus ſingulas ſtrophas abſoluens. Ternis enim quibuſq; Sapphicis ſimplicem addit Adonium. Eius ſchema datum eſt ſupra non ſemel.

LACTE manantes fluuios canoro
Euehit plauſu cithara, beata
Aurei gaudens celebrare ſecli
Munera Pindus,
Tritico glandem, ſiliquaſq; præfert:
Melleo quercus grauidas liquore,
Sponte naſcentes ſegetes ab aruis
Carmine iactat.
Fictio fulgens minio faceſſat:
Hæc rudes mentes, animoſque molles
Fabulæ dictis trahit, otiumq́;
Laudibus effert.

Vera, quæ proſint canimus; fauorum
Artifex cellas Apis elaborat:
Sedulum tellus ſata per laborem
Fundit ariſtas.

Herbidis Paſtor pecudes in oris
Curat; hinc potæ redeunt ab amne,
Et ferunt mulctris grauiora puro
Vbera lacte.

Germinat tellus inarata vepres:
Qui caret motu vitiatur aër:
Mens nocet torpens, velut vnda tetro
Putrida cœno.

Cui labor frontem decorauit auro,
Teſtis eſt Dauid, ſolitus Leonem
Dextera, & duræ ſilicis Gigantem
Sternere iactu.

Mox enim ſegnem requiem ſecutus,
Ius maritalis violans cubilis,
Vt notam probri tegat, innocenti
Sanguine fœdat.

Incly-

Inclytum Virtus opus eſt Laboris.
Huius impulſu petit aſtra; mores
Deſides vitæ, fuge delicatæ
Otia vitæ.

Crapulæ, & pigri ſoboles Soporis,
Quem ſinu Luxus fouet, & Voluptas
Educat firmans; comes it Quieti
Torpor inerti.

Atterens vires animi, decorem
Gloriæ temnit, ſtudium peroſus,
Quo parat laudum celebres triumphos
Viuida Virtus.


Lætus indulgens Genio, Iociſq;
Perſtat aduerſus vigilem Laborem,
Quotque Virtutis ſolium tuentur,
Perdere tentat.

Quo iacet Torpor magis otioſus,
Ingerens prauis alimenta curis,
Pugnat infeſta ſcelerum phalange
Acrior hoſtis.

Digitized by Google

ROMAE
IN AEDIBVS
Collegij Romani Societ.
IESV
M. DC. XXXI.

SOLI DEO
HONOR ET GLORIA.



Digitized b[illegible]